


XENOPHONTIS

ATHENIENSIS

SCRIPTA

IN VSVM LECTORVM
GRAECIS LITTERIS TINCTORVM
COMMENTARIIS
AD RERVM ET VERBORVM INTELLIGENTIAM
ILLVSTRATA

A

BENIAMIN WEISKE
AA. M.
SCHOLAE PORT. CONR.

VOLVMEN PRIMVM
CYRI DISCIPLINAM L. I — IV
COMPLECTENS



LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
MDCCXCVIII

PRAEFATIO

Qui ad Xenophontem legendum accedunt, eos paullum vltra aetatem puerilem prouectos esse oportet. Nam pueri neque orationis Xenophonteae suauitatem plane sentire, neque rerum grauitatem recte aestimare possunt. Accedit, quod propter librorum modum constantia maior, quam pro illa aetate, requiritur, vt, quod coeperis, ad finem vsque perlegas; quod alioqui nec res plane intelligi possunt, nec satis percipi orationis pulchritudo, quae magis in toto habitu inest, quam in singulis partibus. Has ipsas ob causas lector debet esse instructus artium bonarum aliqua scientia, et Graeci certe sermonis notitia mediocri, vel potius modica, hoc est, vt et verborum copiam teneat satis magnam, neque singulis versibus lexicon euoluere cogatur, et formas loquendi maxime vsitatas, de quibus partim in grammaticis, quae vocant, agitur, partim Possclius, Vigerus et Bosius libellis singularibus exponere coeperunt. Haec cum intelligerem, diuturno edoctus vsu, subiit editionem Xenophontis parare legentium rationibus accommodatam. Etenim qui hucusque libros eius omnes complexi sunt editores, quos lectores habituri

 bituri

bituri essent, aut habere vellent, non multum videntur cogitasse: interpretationem addiderunt Latinam, qua facile caret lector, qualem diximus: ad interiorem rerum et verborum intelligentiam fere nihil attulerunt. Qui vero singulos eius libros, aut plures vno volumine, exprimi curauerunt, multum illi quidem elaborarunt in textu corrigendo et in singulis verbis difficilioribusque locis explicandis, sed tamen de ingenio scriptoris vniuerse cognoscendo, de vsu singulorum librorum, de artificio, quo rerum capita sunt descripta, de vi et elegantia sententiarum multam aliis reliquerunt disputandi materiam. Est etiam, quod reprehendas, in eo certe, qui omnium maximam in tractando Xenophonte posuit operam, Zeunio. Hic sedulo varias lectiones vndique congessit; hactenus bene; in vsum certe doctorum hominum, qui aliquando Xenophontis libros ad pristinam integritatem reuocare vellent: multa etiam de sensu verborum et de moribus institutisque Graecorum publicis et priuatis commode disseruit: sed idem non pauca pueris Graeca discentibus satis nota immiscuit, de intelligenda praep. κατὰ, de casu relatiui, et similia; v. g. Cyri discipl. VIII, 6, 16. „στράτευμα ἔχων, h. e. *cum exercitu*,“ quasi hoc cuiquam obscurum aut ambiguum esse possit. Sed maxime infeliciter res illi cessit, vbi virtutes orationis et sententiarum acumen, pulchritudinem et grauitatem explicare et harum rerum causas et rationes afferre conatus est. Alia, quae idem ille vir doctus et de Xenophonte optime meritus peccauit, hic non commemorabo.

Tan-

Tantum dicere volui, eum non ſatis certum habuiſſe conſilium, et multa, quae alii adderent, reliquiſſe, multa item tetigiſſe, quae alii corrigerent.

Quamobrem cum Xenophontem ab ineunte aetate ſtudioſe lectitaſſem ac deinde per plures annos in ſchola Portenſi aliis eſſem interpretatus, viderer que non modo ad loca eius multa emendanda et explicanda, ſed omnino ad indolem et virtutem eius penitus cognoſcendam aliquid in medium afferre poſſe, quo bonarum litterarum ſtudioſis gratum facerem: omnia eius ſcripta diligenti lectione retractare, et, quae habebam notata, ad editionem eius commodam et aetatis noſtrae ingenio aptam elaborare coepi. Sed pungebat me interdum, quod non veteres quosdam codices habebam, e quibus aliquid nouarum lectionum proferre poſſem; non quo tale quid neceſſarium aut valde fructuoſum putarem in ſcriptore praeſertim, qui temporum iniuria tam parum affectus eſſet, ſed quia nonnullorum opinionibus aliquid dandum eſſe exiſtimabam. Scripſi ergo cum ad alios viros doctos, qui tales copias mihi et poſſe et velle ſubminiſtrare viderentur, tum ad Ill. Heynium, qui omnino me deterruit ab hoc congerendarum lectionum labore, ſed ita, vt, quod ſperaram, me cum illo communicaſſe de conſilio meo, vehementer gauderem. Multa enim ad inſtitutum meum conſilia mihi dedit et doctrina eius et humanitate digna, confirmauitque me, vt doctioribus ſcriberem, et his maxime, qui rerum ipſarum cauſa Xenophontem legerent, conſulere ſtude-

rem. Hi autem longas diſputationes de vocu-lis minutis, de verbis ſynonymis a librario per-mutatis, ſimilibusque rebus reſpuunt, et omni-no verum textum orationis ſibi exhiberi, non autem ipſi eius veritatem explorare volunt. Nam curſum legendi talia remorantur, cum contra interprete duce et comite celerius et expeditius progredi cupiant. Ex iis, quae hactenus dixi, intelligentes facile conſtituent, quid praeſtare et quibus maxime prodeſſe voluerim. Sed iidem vident, non eadem loca omnibus, qui Graeca-rum litterarum ſcientia tincti ſunt, eſſe impedita et difficilia. Ego paſſim haereo, vbi alius pla-na omnia et facilia reperit: alius contra impedi-tur aliqua difficultate, vbi nullam ego videram. Quamobrem iudices aequi non ex vna aut altera pagina ſtatuent, vtrum id, quod volui, prae-ſtiterim, ſed plusculum ſpeciminis cauſa ſibi pro-ponent, vt videant, an in plerisque locis iuſtum animaduerſionum modum tenuerim: nam res ita fert, vt in paucis quibusdam locis, etiamſi optime inſtitutum meum ſeruaui, vni eidemque lectori, qualem mihi exoptaui, aut nimium aut parum dixiſſe neceſſario videar.

Quod paullo ante ſignificaui, me de textus integritate non multa diſputaturum eſſe, id hunc habet modum, vt in locis dumtaxat grauiori-bus lectionis expreſſae rationem mihi reddendam eſſe putem, vbi ad rem ipſam aliquid intereſt, hoc an aliud legatur; praeſertim ſi certam lectio-nem aut maxime probabilem amplexus eſſe vi-deor. Nam arroganter agere videtur, qui repu-diata vulgari aut aliis probata lectione nihil mo-

net:

net: certe non apparet, caſu et errore, an conſilio aliud quid in textum migrauerit; quod vitium in Wellſiana editione, vt maximum, recte notatur. In primis autem me mouet illud, quod loca quaedam occurrunt manifeſto deprauata, ſed ab editoribus neglecta, quae tamen facili coniectura emendari poſſint. In talibus ſi lectionem a me receptam nullo verbo affererem, alius fortaſſe exſiſteret editor, qui errorem typothetae tollendum putaret. Tale eſt τὸ ἵπποις Cyri diſcipl. IV, 3, 9. Ceterum in leuioribus verbis ſatis habebo illud facere, quod in hac *Cyri diſciplina* feci, vt ſumma diligentia quidquid alii e codicibus, verſionibus aut commentariis antiquis protulerunt, explorem, et id, quod videtur veriſſimum, nulla reddita ratione in textu ponam; vt v. g. *Cyri diſcipl.* V, 4, 16. tacite Zeunio conceſſi, τὸ ὄντας elegantius eſſe, τὸ εἶναι, vt verius, ſeruaui. Nam ex iis ipſis, quae copioſius paſſim ad criſin verborum disſerui, (breuius non licuiſſe, dolui ſaepe) coniecturam quis capere poteſt, quam curioſe omnia excuſſerim, quamque nihil ab aliis editoribus traditum ſine rationibus idoneis vel ſeruandum vel mutandum putarim.

Deprehenditur hoc in ſcriptoribus vel probatiſſimis etiam hodie, vt in ſcriptura quorundam verborum ſibi non conſtent, quod tunc maxime poteſt accidere, ſi diuerſis temporibus aliquid edunt, vt, quod ante rectius putarint, aliquo tempore poſt improbent. Hoc de Xenophonte dubito an dici poſſit. In hiſtoria quidem Graeca ſaepius ſcriptam reperimus praepo-

ſitionem ἐς pro εἰς, et pronomen κεῖνος pro ἐκεῖνος. Verum in vno eodemque opere ineptus ſit, qui ſemel aut bis iſto, ſaepiſſime autem illo modo ſcribat. Hinc ineptus et Zeunius, qui *Cyri diſcipl.* V, 4, 6. e cod. Guelf. pro εἰς poſuerit Atticorum ἐς, adeo vt §pho anteced. et per totum reliquum opus Xenophon minus Atticus fuiſſe intelligatur. Hic ergo confidenter τὸ εἰς ſeruaui, vt alias recte ἀεὶ pro αἰεὶ reſcripſi. Omnino Zeunius nimis codice Guelferbytano, quamquam optimo, delectatur, et ſine idonea ratione quasdam eius lectiones probat. Sic V, 5, 14. τὸ σοὶ (in ἐπαίνου σοὶ ἄξιος) eius auctoritate ſublatum malit, quod tamen plane Xenophonteum eſt. Vid. *disp. de ingenio* X. §. 26. Sed haec hactenus: quae adiicere placuit, vt intelligerent lectores, etiam vbi nihil monuerim de textu, me curaſſe, vt, quantum aſſequi poſſem, genuinus etiam in minimis daretur. Sed prima aut certe maxima cura fuit, vt, quae aut eſſent, aut plerisque videri poſſent obſcura, ex re ipſa, aut ex vſu verborum et ſtructurae ratione, aut ex hiſtoria et legibus vel inſtitutis antiquorum illuſtrarem. Multum in hac re me iuuit opera virorum doctorum, qui hoc ſeculo *Cyri diſciplinam* tractarunt: Hutchinſonum maxime dico, Morum et Zeunium. Quod adverſus hunc, quem optime de Xenophonte meritum eſſe dixi, tam ſaepe disputaui, id in eius laudem interpretandum eſſe duco. Saepius enim mihi nominandus fuit, quia nemo hos libros pari ſtudio explicauit, nemo pari candore de locis difficilioribus ſuam protulit ſententiam: a

quo

quo proinde fieri non potuit, quin ſaepius, quam a ceteris, discreparem. Wyttenbachii quidem, ſummi viri, de illo iudicium in ἐκλογαῖς ἱστορικαῖς nobis videtur iuſto durius. „Non fuerunt,“ inquit, „nulla eius merita de iuuentute Graecarum litterarum ſtudioſa: ſed frequens ἀκρισία in ſenſu accurate interpretando. Nos noſtros diſcipulos monere debemus, vt in Zeunianis editionibus potius contextum auctoris, quam notas editoris legant.“ Adſcripſimus ipſa eius verba, eo conſilio, vt illi, qui Zeunio nimis multum tribuunt, intelligerent, non adeo arroganter agere, qui ab eo diſſentire audeat. Ceterum vt in textu conſtituendo verboſis disputationibus et deuerticulis minime neceſſariis abstinere debuimus, ita in explicando eodem hanc cautionem adhibendam eſſe putauimus: neque ex eo captavimus laudem aut gratiam, vt vndique omnia, quae ad interpretandum Xenophontem ſcripta exſtant, congeſta diiudicaremus. Atque hac breuitate vtemur etiam in reliquis voluminibus. Tantundem enim temporis perditur in itinere inſtituto, ſiue in hanc ſiue in illam regionem, quae habeat anfractum, abducaris. Quo magis autem id faciam, in primis hoc mihi accidit opportunum, quod inde a prima aetate inſigniores Xenophontis libros legendo et interpretando paene contriui, ſat longis tamen interuallis temporum interpoſitis. Cum ergo aliquando ad locum eius difficiliorem redeo, in eandem vt plurimum deducor vel corrigendi vel interpretandi viam: quae res me vehementer mouet, nonnulla ex his vt credam veriſſima. Quod ſi

eadem confirmantur auctoritate aliqua, hoc paucioribus opus eſſe credo verbis, et breuiter id, quod maxime eſt probabile, ſignificandum cenſeo.

Quoniam autem tales ſcriptores, qualis eſt Xenophon, tam propter elegantiam orationis, quam propter res ipſas leguntur, vtraque ex parte interpreti aliquid negotii imponitur. Nam et virtus orationis in quo inſit, oſtendere, et rerum rationem explicare et diiudicare debet. Quod ad prius attinet, per ſe patet, ei videndum eſſe, quibus lectoribus ſcribat. Nos cum intelligentioribus operam noſtram dicatam eſſe vellemus, non leuia quaedam de tropis et figuris conſectati ſumus, quae vnusquisque per ſe facile animaduertere et aeſtimare poteſt, ſed totas maxime orationes complexi grauiora ornamenta expoſuimus. Quo magis id faceremus, idonea ſuppetebat cauſa. Nam Xenophon eſt eiusmodi ſcriptor, cuius bona minus vulgo animaduertunt ac ſentiunt. Cum autem noſtros hoc in genere conatus viri docti probarint, iure reprehenderemur, ſi in eo illuſtrando hunc laborem detrectare voluiſſemus, praeſertim cum Zeunius, vt iam ſignificauimus, parum in hoc genere protulerit, quod probari poſſit: cuius ineptias et repugnanter dicta cognoſcas vel cum ſtomacho, vel cum riſu, v. g. I, 3, 2 ad ὡς καλὸς μοὶ: I, 4, 1. ad παχὺ δὲ: I, 4, 11. ad ὡς μὲν: VI, 4, 9 ad ἐπεύξατο: VII, 1, 35 ad πολύς.

De rebus ipſis etiam diſputandum eſſe interpreti, vel ex eo patet, quod multis ne ſenſus

quidem

quidem verborum ſatis clarus ſit, niſi aut confirmaueris adiecto aliquo iudicio ſententiam auctoris, aut refutaueris. Hoc non eam vim habet, vt ſingularum ſententiarum veritatem, et in omni quidem rerum genere, explorari velim, ſed tantum grauiſſimarum, quas auctor ipſe maxime conſiderari velit, et de quibus aliquid in vtramque partem poſſit afferri. Tractamus enim philoſophum, et magni philoſophi diſcipulum, cuius proinde decreta operae pretium ſit cognoſcere et diiudicare. Cum autem non omnes Xenophontis libri ex eodem ſint genere, pro ſua quemque natura tractandum, rerumque diiudicationem inſtituendam eſſe, apparet. Occurrunt, et neceſſario debent occurrere, in vnoquoque libro res a conſilio auctoris alienae, quarum propter alia vel propter conſilii rationem ſit ſignificatio aut mentio, et quarum explicatio, ſi neceſſaria ſit, multis verbis egeat. Has ridicule olim conſectabantur commentatores, vt plenos ſcilicet et luculentos commentarios viderentur conſcripſiſſe: atque ita multum agendo nihil agebant. Idem quibusdam in locis peccarunt Hutchinſonus et Zeunius, qui v. g. de lacrimis in gaudio effuſis ad VII, 4, 32 inepte veterum ſcriptorum loca congeſſerunt, quaſi talis res teſtimoniis aut exemplis veterum egeret, aut teſtimoniis recte explicari poſſet, ac non potius ad philoſophum eſſet deferenda, qui ſuo loco, et pluribus verbis, et acute ſubtiliterque rem perſequeretur. Talia igitur miſſa feci.

Ad vtrumque conſilium, vt et intelligere et iudicare diſcat lector, valet accurata partium

tium deſcriptio: eademque res memoriae ſuccurrit locorum quorundam notatione. Bene igitur Zeunius in *Cyri diſciplina* praeter vſitatam partitionem in capita aliam fecit, et inſcriptiones ſiue argumenta ſingularum partium dedit, in quas totum opus commode diuidi poſſe credebat. Hanc eius rationem plane probatam ſecutus ſum ita, vt multis in locis etiam verba eius ſeruarem, alibi autem meliorem, quae mihi videretur, partitionem inſtituerem, clarius etiam et plenius indicatis ſectionum argumentis. Capitum ergo et paragraphorum numeros et locos ſeruaui, vt quisque verba ſecundum vulgatam hanc partitionem indicata facile reperiret: ſectiones autem, quas dicere placuit, feci illo, quo dixi, conſilio, quod earum deſcriptionem legentium vſui accommodatam et in primis fructuoſam eſſe iudicaram. Idem faciam in ceteris voluminibus, vt ſeruata vulgari partitione, nulla cum chartae iactura, quasdam ſectiones conſtituam ordini rerum magis conuenientes.

Diximus vniuerſe de tota inſtituti noſtri ratione, atque ita quidem, vt neceſſe non ſit pluribus exponere, quid ad ſingula Xenophontis opera rite illuſtranda pertinere putemus, et cur primum volumen tanto apparatu inſtruere placuerit. Sed tamen quaedam etiam ſunt monenda, vt lectores videant, quem ſcopum habuerimus in ſingulis partibus et quid deinceps ſperare debeant. Quod in bonis et ſplendidis editionibus veterum ſcriptorum fit, vt accurate et copioſe de codicibus manu ſcriptis, de editionibus, de verſionibus et de libris ad illuſtrandum quacunque

que ex parte ſcriptorem pertinentibus dicatur, id ab hoc noſtro inſtituto alienum, aut certe non neceſſarium iudicaui. Sed eo magis illo labore ſuperſedere debui, quod nullum fere niſi deſcribendi laborem habuiſſem. Nihil enim potuiſſem afferre praeter ea, quae Fabricius in Bibliotheca Graeca, Zeunius in praefatione ad Xenophontis opuſcula politica, idemque in praefatione ad hanc Cyri diſciplinam et Harleſius Introduct. in Hiſtoriam Linguae Graecae T. I. p. 373 ſſ. idemque ad Fabricii Bibl. Graecam, Vol. III congeſſerunt. Etiam Fortia *) in *Vie de Xenophon* eandem rem tractauit, ſed, vt reliqua, minus accurate: quod opus ſat magno pretio paratum adhuc parum mihi profuit. Quantum ei in recenſendis et aeſtimandis talibus ſubſidiis tribuendum ſit, ex hoc ſpecimine apparebit. Enumerantur in Fabricii Bibl. Gr. codices manu ſcripti ſingulorum librorum, vbi e Zeunii ſchedis Harleſius duos commemorat Pariſienſes regios, qui contineant Cyropaediam. Fortia vero p. 187 haec habet: ... *ſans parler des autres bibliothèques, il exiſte dans celle qui appartenoit au ci-devant roi de France trois manuſcrits qui datent de*

*) Hic enim eſt auctor, non Galius, vt in fronte libri ſcriptum eſt. Inſcriptio ita habet: *Vie de Xenophon ſuivie d' un extrait hiſtorique et raiſonné de ſes ouvrages: pour ſervir d' Introduction à la traduction complette des Oeuvres de Xenophon, par* I. B. GAIL. *à Paris*
chez { GAIL *au college de France, place Cambrai.* / NYON *jeune, libraire, pavillon des Quatre-Nations.* }
An III de la Republique Françaiſe.

de cette époque. Le premier eſt de l'an 1447, et cotté 1635; on y trouve quelques lacunes; le ſecond, cotté 1641 a été écrit par Apoſtolius. On eſt touché jusqu' aux larmes, dit le ſavant Larcher, en liſant à la fin de la Cyropedie, que, reduit à la derniere miſere après la priſe de Conſtantinople, ſa patrie, il a copié cet ouvrage en Crète, pour ne point mourir de ſaim. Ce manuſcrit eſt excellent, et d'une écriture parfaitement belle. Le troiſieme enfin, cotté 1640, eſt du quatorzième ſiècle. Il eſt mal écrit, mais très-bon, et Larcher conſeille aux futurs editeurs de Xénophon, de le collationer exactement. ainſi que le ſecond. In margine ad h. l. adſcripſit: *Manuſcrits des ouvrages de Xénophon*, vt non poſſis non credere, omnes Xenophontis libros illis codicibus contineri. In reliquis eius libris commemorandis nullum verbum de codd. mss. vsquam facit: de anabaſi autem poſtquam dixit, quam appellat *l'hiſtoire de Xénophon*, *J'ai parlé*, inquit, *à l'article de la Cyropédie des trois manuſcrits, qui exiſtent à la bibliothèque nationale, et, parmi eux, de celui qu' écrivit Apoſtolius.* Tum repetit tantum ſuperiora de miſeria Apoſtolii. Galius autem (*Gail*) in *Oeuvres de Xénophon* (interpretatione Franco-Gallica Oeconomici, Apologiae S., libri de re equeſtri et de magiſterio equitum) ita narrat, p. X.: *J'ai eu le bonheur de trouver à la bibliothèque nationale et à celle Germain-des-Près, des manuſcrits ignorés jusqu' à préſent, et où j'ai découvert des variantes précieuſes ... Le premier manuſcrit, no. 1643, que j'ai lu*, (tantumne laborem fere fruſtra ſuſcepiſſe? — cur non potius, cum legeret, cum noto

noto aliquo textu typis ſcripto contulit?) *eſt de Michel Apoſtolius; le ſecond, no. 1646, paroît être du ſeizième ſiècle; le troiſième, encore plus récent, a numéro 1647; le quatrième, no. 2955, eſt du quinzième ſiecle.* Quid ergo? num omnes hi codices omnia complectuntur, an illos tantum quatuor libros? Cui, aut quid credimus? incertiores iam facti ſumus, quam ante. In enumerandis verſionibus recentioribus Fortia, quantum vidi, (accurate talia comparare mihi nunquam vacat) ſatis fuit diligens: in reliquis eius opera poſſumus carere. De editione Wellſiana, quam omnes ſciunt non magni eſſe momenti, multa verba facit, eamque dicit eſſe *très-recherchée.* Lipſienſem editionem, quae Thiemii nomen in fronte habet, recte indicat; ſed paullo poſt vt diuerſam: *Xenophontis opp. ... cura Erneſti. Lipſiae 1768. 4 vol.* Vitium in anno 1768 pro 1763 videtur eum decepiſſe. Addit autem, quod legiſſe non poenitebit: *Cette édition a été appréciée 66 livres dans un catalogue publié cette année à Paris.* Ex his apparebit, notitiam apparatus critici, vt alia, quae aliquid curae et diligentiae poſcunt, melius a noſtris peti.

Vitam Xenophontis in fronte totius operis neceſſaria de cauſa et ſine vlla dubitatione poſui. In eo autem incertior haerere poteram, vtrum e Diogene Laertio (nam pauca illa, quae Suidas habet, melius ex hoc ipſo et e Xenophonte cognoſcuntur) deſcriptam darem, an, quod per ſe foret elegantius, eandem ipſe, quam optime poſſem, Latine conſcriberem. Sed

quis

quis non malit fontem ipſum, praeſertim non indoctus, et Graecis litteris imbutus? Alia ratio eſt eorum, qui ipſi iudicare aut nequeunt aut non curant, cuius generis lectoribus is, quem commemorauimus, Galius magno ſuo volumine, (cuius tamen vix ſexta pars intra rem ipſam ſe continet) Xenophontis vitam narrauit. Ipſius Diogenis narratio, et ea, quae ſatis multa ſuper ea disſerui, et ex aliis excerpta iſtuc transtuli, melius, opinor, Xenophontem exprimunt.

Sequitur disputatio de Xenophonte ſcriptore. Haec vires meas vehementer exercuit. Vtinam alii tantos ex eius lectione fructus capiant, quantos ego in elaboratione ſuſcepi labores! Neque tamen me poenitet tantum ſtudii in ea poſuiſſe. Nam, ſi quid ipſe iudicare poſſum, habebunt in ea lectores optimam εἰσαγωγὴν in libros Xenophontis. Hanc certe laudem ſpectaui, et hac re, vt debui, ſuperiores editores longe poſt me relinquere volui. Altera disputatio ad hoc primum et ſecundum volumen proprie pertinet. Hic illud monebo: quoniam Latina lingua vti ad Xenophontem illuſtrandum placuit, etiam inſcriptionem librorum Latine reddi, quatenus Latini ipſi hoc fecerunt, aut fecerint, conſentaneum eſt. Inſcripſi ergo hoc primum opus non *Cyropaediam*, quod nomen ſenſum quidem aliquem habet, ſed tamen temere e duobus verbis conflatum eſt. Non enim auctor enarrat, quomodo *omnes Cyri* ſint formati et educati, ſed quomodo vnus *Cyrus maior*: non dedit *eine Cyruserziehung* ſ. *Cyrusbildung*,

dung, verum *die Erziehung*, *Bildung des Cyrus*. Neque Graecum Κύρου παιδείας nomen ſeruaui, ſed Latine, vt Cicero Brut. 29 interpretatur, inſcripſi *Cyri diſciplinam*. Poſſit quispiam offendi hac inſcriptione, vt putet, editorem ridiculo nouandi ſtudio teneri et inde friuolam captare laudem. Sed profecto non eſt hoc noſtri ingenii. Sic *Memorabilium* nomen ſeruabimus, vt plerisque vſitatum, etſi nobis adhuc minus probatur. Quod alii vertunt, *inſtitutionem Cyri*, propter ipſam Ciceronis auctoritatem poſtponere potui: ſed feci magis propterea, quia multum intereſt inter διδασκαλίαν (*inſtitutionem*), et παιδείαν (diſciplinam). *Inſtitutio* maximam partem conſtat praeceptis: *diſciplina* autem complectitur primo inſtitutionem ipſam, deinde praemia, poenas, exempla, ſubſidia omnis generis; vt cibi, potus, exercitationum, ſomni rationem et modum· etc. Et ſi quis Perſarum diſciplinam, ex qua auctor παιδείαν Κύρου nominavit, conſiderare voluerit, reperiet profecto, inſtitutionem eſſe minimam illius partem. Et vt concedam, inſtitutionem interdum paullo latius dici, tamen multo grauior et plenior eſt vox *diſciplinae*. Quod ſi alio quo verbo vti neceſſe ſit, *educationem* tamen malim dicere, quam *inſtitutionem*. Verum, vt ad grauiora redeam, in hac altera diſputatione, de qua dicere coeperam, maior difficultas occurrebat in rerum ipſarum natura, maximeque in parte illa, vbi de re militari dicendum erat: et quamquam ea ſpe me ſuſtentabam, quod non

multos Hannibales lectores essem nacturus, tamen cum ne Phormioni quidem me parem ponere sustinerem, in medio labore, quasi nescius, quem in locum progressus essem, mecum ipse deliberabam, an suscipere deberem aliquam eius partem. Sed tamen cum viderem, sero quidem, me nihil haesitantem in ipsis commentariis passim vt ad II, 1, 26., nescio qua confidentia, iudicasse de rebus non minimi momenti, retuli me ad illud Ciceronis, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et nauiter oportere esse impudentem; ita tamen, vt a maiore impudentia me ad minorem reciperem. In his ergo vtcunque excusatus ero aequis lectoribus. De reliquis, quae formam disciplinae Cyri attingunt, minus sum sollicitus, speroque, lectorem non pauca esse cogniturum nondum prolata, quae ad iustam et debitam laudem auctoris pertineant.

Ordinem librorum Xenophontis nemo conatus est ex temporis ratione, quo quisque scriptus videatur, instituere. Nam neque in ipsis certae comparent temporis notae, neque veteres auctores ea prodiderunt, e quibus suus cuique locus pro aetate assignari posset. Neque vero multum interest, vtrum v. c. expeditio Cyri an disciplina Cyri priori loco ponatur. Quare cum hodie libros, commodis ad tractandum voluminibus, chartae minore forma exprimant, nihil fere aliud nobis videndum est, nisi vt ne singula volumina magnitudine nimis discrepent. Immutaui ergo paullulum Stephania-

num

num ordinem, vt librorum ſecundum ſex volumina ſeries haec ſit.

Primum volumen continet Cyri diſcipl. L. I ... IV.
Secundum Cyri diſcipl. L. V ... VIII.
Tertium expeditionem Cyri:
Quartum hiſtoriam Graecam et Ageſilaum:
Quintum Oeconomicum, Conuiuium, Hieronem, Apologiam Socratis et Memorabilia:
Sextum libellos de republica Lacedaemoniorum et Athenienſium, de vectigalibus, de re equeſtri, de officio magiſtri equitum, de venatione, et epiſtolarum fragmenta; quibus accedent duo indices.

Singulis horum voluminum libris praemittam ſimilem poſteriori huius voluminis disſertationem, in qua pro rerum copia et dignitate breuiter aut fuſius dicam de conſilio auctoris, de ratione et ordine, quem ſecutus eſt, de vſu libri, prout inſtituti forma poſtulabit. In volumine quinto et ſexto multum me, vt ſpero, iuuabit humanitas et doctrina Schneideri, Graecarum litterarum et rerum naturalium ſcientia in primis nobilitati. Qui cum nuper in itinere Portam devertiſſet, domi meae multa mecum humaniter collocutus roganti promiſit, cum ad illa loca veniſſem, vbi animalia quaedam et alias naturae partes penitius noſſe commodum eſſet, ſe, quae haberet ad Xenophontem hac ex parte illuſtrandum notata, lubenter mecum eſſe com-

municaturum. In Memorabilibus eandem, quam in reliquis libris rationem ſeruabo, neque propterea, quod interpretationem Germanicam huius libri copioſius inſtruxi, plus aut minus disputabo quam e totius inſtituti ratione decet. Tantum addere liceat, me ſummo ſtudio elaboraturum eſſe, vt, quicunque operae pretium duxerunt iſta interpretatione vti, hos non poeniteat Apomnemoneumata ſub hac noua inſtituti forma recognouiſſe.

Magnum tironibus praeſtant vſum indices Graeco-Latini, qui huc vsque ſingulorum voluminum editiones ornarunt, Erneſtii, Bachii, aliorum. Sed haec noſtra editio tali indice non eget. Pleraque verba, quae in illos indices contulerunt, lector tenet: alia e lexico petet: reliqua in ſcholiis noſtris reperit. Sed ne qua ex parte lector ſtudioſus tale ſubſidium deſideret, adiiciemus et ipſi ad calcem Voluminis ſexti indicem Graecum, ſed philologico-criticum, in quo non ſolum ea notabimus, quae in commentariis noſtris exponuntur, ſed etiam verba rariora et formas inſolentiores. Similis ergo erit indici, quem ſubiecimus interpretationi Germanicae Memorabilium, ſed paullo plenior et, vt per ſe intelligitur, pro ratione operis longe amplior. Erneſtii et reliquorum ſimiles indices hanc praebent opportunitatem, quod eorum ope facile loca, quae quis oblitus requirit, reperiri poſſunt: ſed et noſter index, et ille alter,

 de

de quo mox, in ſubſidium vocatus, hoc in plerisque praeſtabit.

Perſonarum etiam et locorum habent indices: ſimilem etiam nos conficiemus, ſed valde copioſum et, vt ſperamus, fructuoſum, *rerum* nempe indicem. Rerum autem nomine ea intelligi volo, quae quis e ſcriptore maxime diſcere debet, et ob quae ſcriptor maxime laudatur. Iam cum et Socratis placita et diſcipuli, qui Socratem vita et moribus et dictis maxime expreſſit, in Xenophonte habeamus, index ille primo ducet ad fontem philoſophiae Socraticae. Deinde et reliquas res, quae Xenophonti magis propriae ſunt, in moralibus, politicis, militaribus, oeconomicis monſtrabit. Hic ergo non ſub perſonarum et locorum nominibus, ſed ſub nominibus virtutum, vitiorum, negotiorum, munerum indicata reperientur auctoris iudicia et praecepta. Neque tamen nomina propria excludentur, ſed propter hiſtorias neceſſario locum ſuum habebunt. Illa vero nomina vel potius facta, quae quis alia via facile reperire poteſt, vt Cyri, Ageſilai, non multum nos occupabunt. Graecus index nota certa vt plurimum commentarios monſtrabit, rarius textum; latinus contra, ſ. rerum index, fere vbique textum, rarius ſcholia noſtra.

Secundum volumen ſtatim poſt hoc primum, reliqua deinceps non ita longis intervallis, vt ſpero, prodibunt. Nam etſi nihil

ſolemus praecipitare, tamen cum quaedam iam habeamus parata, et in reliquis labor paullo minus difficilis videatur fore, celerius, quam pro magnitudine operis propoſiti, cuncta poterimus abſoluere. Interim, dum illa confecerimus, hortamur lectores, vt hanc Cyri diſciplinam, in qua ineſt perfecta Xenophonteae venuſtatis imago, ſtudioſe lectitent, et, ſiquid legentibus noſtra profuerit opera, ex hoc ſpecimine, magnitudine quidem ſatis luculento, ſpem de reliquis concipiant.

VITA

VITA
XENOPHONTIS
E DIOGENE LAERTIO

1. Ξενοφῶν Γρύλλου μὲν ἦν υἱὸς, Ἀθηναῖος, τὸν δῆμον Ἐρχιεύς· αἰδήμων δὲ, καὶ εὐειδέστατος εἰς ὑπερβολήν.

2. Τούτῳ ἐν στενωπῷ φασὶν ἀπαντήσαντα Σωκράτην διατεῖναι τὴν βακτηρίαν, καὶ κωλύειν παριέναι, πυνθανόμενον ποῦ πιπράσκοιτο τῶν προσφερομένων ἕκαστον· ἀποκριναμένου δὲ, πάλιν πυθέσθαι, ποῦ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ γίγνονται ἄνθρωποι· ἀπορήσαντος δὲ, Ἕπου τοίνυν, φάναι,

καὶ

§. 1. αἰδήμων (*verecundus*) dicitur Diogeni Xenophon, quod eius verecundia in facie rubore saepius suffusa et in oculis modeste deiectis fuerit conspicua. Prouerbium est τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ; Aristot. Rhet. II, 6. Potuit ergo hoc nomen, quod non tam virtutem aliquam exprimit, quam virtutis signum externum, bene coniungi cum εὐειδέστατος. Cum in verbis seqq. statim de Socrate dicatur, Diogenes, aut is auctor, vnde haec sua petiit, fortasse voluit intelligi, propter venustam oris speciem eum, vt discipulum, Socrati placuisse. Nam hic formosos adolescentes ad se alliciebat, ne ab aliis corrumperentur. Diximus de hac re ad versionem Germ. Memor. I, 2, 1.

§. 2. Τούτῳ ... Σωκράτην: Sic recte scripsit Stephanus, probante Menagio, pro Τοῦτον ... Σωκράτην vel Σωκράτει. Ingrata quidem ab initio exsistit ambiguitatis species in τούτῳ et στενωπῷ: sed tamen res ipsa illam correctionem facile tuetur. Parum αἰδημόνως Xenophon in Socratis disciplinam irrupisset, si baculum intentasset magistro· quae autem sequuntur ἀπορήσαντος δὲ etc. prorsus repugnarent. Res ita est animo informanda. Socrates Xenophonti occurrens inductione sua vsus est, et similibus quaestionibus interiectis eum istuc deduxit, vt intelligeret, etiam locum aliquem esse debere, vbi καλοὶ κἀγαθοὶ ἄνδρες fierent.

καὶ μάνθανε. Καὶ τοὐντεῦθεν ἀκροατὴς Σωκράτους ἦν. —

3. Καὶ πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν, ἀπομνημονεύματα ἐπιγράψας. Ἀλλὰ καὶ ἱστορίαν, φιλοσόφων πρῶτος, ἔγραψε.

4. Καὶ αὐτόν φησιν Ἀρίστιππος, ἐν τετάρτῳ περὶ παλαιᾶς τρυφῆς, ἐρασθῆναι Κλεινίου· πρὸς ὃν καὶ ταῦτα εἰπεῖν· „Νῦν γὰρ ἐγὼ Κλεινίαν ἥδιον μὲν θεῶμαι, ἢ τ' ἄλλα πάντα ἐν ἀνθρώποις καλά· τυφλὸς δὲ τῶν ἄλλων πάντων δεξαίμην ἂν, ἢ Κλεινίου ἑνὸς ὄντος, γενέσθαι· ἄχθομαι δὲ καὶ νυκτὶ καὶ ὕπνῳ, ὅτι ἐκεῖνον οὐχ ὁρῶ· ἡμέρᾳ δὲ καὶ ἡλίῳ τὴν μεγίστην χάριν οἶδα, ὅτι μοι Κλεινίαν ἀναφαίνουσι.“

5. Κύ-

§. 3. Continuo hic Xenophontem scriptorem cognoscimus. Vtinam aliquid ante dictum esset de prima eius educatione aut de studiis pueritiae! Prodicum Ceum, quem et Socrates audiuerat, audiuisse, docet Fabricius (Bibl. Gr.) e Philostrato — ὑποσημειοῦσθαι est notis tachygraphicis, quas et siglas vocant, (nunc *abbreviaturas*,) excipere. — Ἀλλὰ καὶ etc. Menagius: „Ambigue dictum: vox enim φιλοσόφων et ad τὸ πρῶτος et ad τὸ ἱστορίαν referri potest. Ad τὸ ἱστορίαν retulit Suidas. Ξενοφῶν, inquit, πρῶτος ἔγραψε βίους φιλοσόφων καὶ ἀπομνημονεύματα. Ad τὸ πρῶτος refert Ionsius, et Laërtii verba Suidam non cepisse contendit. Eius rationes videre est lib. I. hist. Philos. cap. 7. Ionsii sententiae non inuitus accedo: neque enim infra, inter libros Xenophontis φιλοσόφων ἱστορίας Laërtius mentionem facit. Xenophontem ad scribendam historiam Isocrates incitauit, quemadmodum et Theopompum Chium et Ephorum Cumaeum, ad captum cuiusque apte argumenta historiae distribuens, vt est apud Photium cod. CCIX.“ Iuuant hanc interpretationem Ciceronis verba de or. II, 14. *A philosophia profectus* princeps *Xenophon . . . scripsit historiam.* Nos, inciso post ἱστορίαν et πρῶτος posito, curauimus, vt sensus in oculos incurreret.

§. 4. Νῦν γὰρ etc. Aldobrandinus: „Haec iisdem verbis sumta sunt ex Symposio Xenophontis IV, 12. Sed Laërtius ad hoc testem citauit, vt haec verba, quae apud X. sub Critobuli persona leguntur, doceret, non Critobuli, sed X. amoris esse indicia etc. — Vox ipsa prorsus amantis est. Fuisse Xenophontem animo molli ad amores, satis ipse prodit discipl. Cyri V, 1, 17. ἴσως ... ἔπασχε: sed clarius VI, 1, 36, vbi, si vim ipsam loci spectamus,

5. Κύρῳ δὲ φίλος ἐγένετο τοῦτον τὸν τρόπον. Ἦν αὐτῷ συνήθης, Πρόξενος ὄνομα, γένος Βοιώτιος, μαθητὴς μὲν Γοργίου τοῦ Λεοντίνου, φίλος δὲ Κύρῳ. Οὗτος ἐν Σάρδεσι διατρίβων παρὰ τῷ Κύρῳ, ἔπεμψεν εἰς Ἀθήνας ἐπιστολὴν Ξενοφῶντι, καλῶν αὐτὸν, ἵνα γένηται Κύρῳ φίλος. Ὁ δὲ τὴν ἐπιστολὴν δεικνύει Σωκράτει, καὶ σύμβουλον ᾑρεῖτο. Καὶ ὃς ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς Δελφοὺς, χρησόμενον τῷ θεῷ. Πείθεται Ξενοφῶν· ἥκει παρὰ τὸν θεὸν· πυνθάνεται, οὐχὶ εἰ χρὴ ἀπιέναι πρὸς Κῦρον, ἀλλ' ὅπως· ἐφ' ᾧ καὶ Σωκράτης αὐτὸν ᾐτιᾶτο μὲν, συνεβούλευσε δὲ ἐξελθεῖν. Καὶ ὃς γίγνεται παρὰ Κύρῳ, καὶ τοῦ Προξένου φίλος οὐχ ἧττον ἦν αὐτῷ. Τὰ μὲν οὖν ἄλλα τὰ κατὰ τὴν ἀνάβασιν γενόμενα, καὶ τὴν κάθοδον ἱκανῶς αὐτὸς ἡμῖν διηγεῖται.

6. Ἐχθρῶς δὲ διέκειτο πρὸς Μένωνα τὸν Φαρσάλιον περὶ τὸν χρόνον τῆς ἀναβάσεως, τὸν ξεναγόν·

ctamus, ingenue confitetur, se pulchritudine hominum ad amorem facile illici.

§. 5. Κύρῳ ... τρόπον: Aldobr. „De Xenophonte scribit ex Xenophonte Laërtius. Quae enim hoc loco de X. dicuntur, eadem sunt apud X. L. III ἀναβάσεως. (c. 1. §. 4. ff.)" — Omnino inde ab hoc loco pleraque omnia ex illis libris Xenophontis optime illustrantur. Vetus error, nescio vnde ortus, propagatur per multos libros historicos, Xenophontem praefuisse illis decem millibus Graecorum in auxilium Cyri profectis. Verum hic ab initio nullam tenuerat imperii partem, ac ne militis quidem munere functus erat, vt ipse illo loco testatur. Post sublatos demum eos, qui summas rerum administrarant, excitauit se ipse, et cum aliis de communi salute agere coepit, ita vt ob insignem virtutem et prudentiam magis re quam nomine esset imperator.

§. 6. Ἐχθρῶς ... Μένωνα: Videtur Diogenes non prorsus omnia credere, quae Xenophon in hominem pessimae mentis effundit, Exp. Cyri II, 6, 21 ff.

ναγόν· ὅτε καὶ λοιδορῶν αὐτὸν φησὶν, αὐτοῦ μείζοσι κεχρῆσθαι παιδικοῖς. Ἀλλὰ καὶ Ἀπολωνίδῃ τινὶ ὀνειδίζει, τετρῆσθαι τὰ ὦτα. —

7. Μετὰ δὲ τήν τε ἀνάβασιν, καὶ τὰς ἐν τῷ Πόντῳ συμφορὰς, καὶ τὰς παρασπονδήσεις τὰς Σεύθου τοῦ τῶν Ὀδρυσῶν βασιλέως, ἧκεν εἰς Ἀσίαν πρὸς Ἀγησίλαον τὸν Λακεδαιμονίων βασιλέα, μισθοῦ τοὺς Κύρου στρατιώτας αὐτῷ παρασχών· φίλος τε ἦν εἰς ὑπερβολήν. Παρ᾽ ὃν καιρὸν ἐπὶ Λακωνισμῷ φυγὴν ὑπ᾽ Ἀθηναίων κατεγνώσθη. γενόμενος δ᾽ ἐν Ἐφέσῳ, καὶ χρυσίον ἔχων, τὸ μὲν ἥμισυ Μεγαβύζῳ δίδωσι, τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερεῖ, φυλάττειν, ἕως ἂν ἐπανέλθῃ· εἰ δὲ μὴ, ἄγαλμα ποιησάμενον, ἀναθεῖναι τῇ θεῷ. τοῦ δὲ ἡμίσεος ἔπεμψεν εἰς Δελφοὺς ἀναθήματα. Ἐντεῦθεν ἦλθεν μετὰ Ἀγησιλάου εἰς τὴν Ἑλλάδα, κεκλημένου εἰς τὸν πρὸς Θηβαίους πόλεμον· καὶ αὐτῷ προξενίαν ἔδοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι. —

8. Ἐντεῦθεν ἐάσας τὸν Ἀγησίλαον ἦλθεν εἰς Σκιλλοῦντα, χωρίον τῆς Ἠλείας, ὀλίγον τῆς πόλεως

ſſ. — μείζοσι .., παιδικοῖς: ibid. §. 28. — ὀνειδίζει: Non ipſe quidem in concione militum hoc ei exprobrauit, ſed Agaſias: veruntamen in narratione probat Agaſiae dictum, Exp. Cyri III, 1, 31.

§. 7. ἐπὶ Λακωνισμῷ: Non aliam cauſam affert Pauſanias, ſed rem plenius narrat; ideo exſulem factum Xenophontem, quod ſub Cyro, qui Athenienſium hoſtis acerrimus eſſet, aduerſus Perſarum regem, qui magna ipſos beneuolentia proſequeretur, militaſſet: nam Lyſandro, Ariſtocratis filio, et Lacedaemoniis ſumtus ad inſtruendam claſſem ſuppeditaſſe. — Μεγαβύζῳ: Quidam ſtatuunt, omnes Dianae ſacerdotes dictos eſſe Megabyzos: et ex analogia hoc ſatis probabile eſt, cum apud veteres plura nomina honorum appellatiua ſpeciem propriorum habeant. In ipſo autem templo videtur haec pecunia depoſita fuiſſe. Caſaubonus h. l. commemorat hanc in rem Ciceronis verba Legg. II, 6. Cf. interprett. ad Nep. XXIII, 9.

§. 8 Εἵπετο ... γύναιον: Haec verba, maximeque dim. γύναιον,

πόλεως ἀπέχον. Εἵπετο δὲ αὐτῷ καὶ γύναιον, ὄνομα Φιλησία, καθά φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης· καὶ δύο υἱεῖς, Γρύλλος καὶ Διόδωρος, ὥς φησι Δείναρχος ἐν τῷ πρὸς Ξενοφῶντα ἀποστασίου, οἳ καὶ Διόσκουροι ἐπεκαλοῦντο. Ἀφικομένου δὲ τοῦ Μεγαβύζου κατὰ πρόφασιν τῆς πανηγύρεως, κομισάμενος τὰ χρήματα, χωρίον ἐπρίατο, καὶ καθιέρωσε τῇ θεῷ, δι' οὗ ποταμὸς ἔῤῥει Σελινοῦς, ὁμώνυμος τῷ ἐν Ἐφέσῳ. τοὐντεῦθεν διετέλει κυνηγετῶν, καὶ τοὺς φίλους ἑστιῶν, καὶ τὰς ἱστορίας συγγράφων. Φησὶ δ' ὁ Δείναρχος, ὅτι καὶ οἰκίαν καὶ ἀγρὸν αὐτῷ ἔδοσαν Λακεδαιμόνιοι. Ἀλλὰ καὶ Φιλοπίδαν τὸν Σπαρτιάτην φασὶν αὐτῷ πέμψαι αὐτόθι δωρεὰν, ἀνδράποδα αἰχμάλωτα ἐκ Δαρδάνου· καὶ τὸν διαθέσθαι αὐτὰ ὡς ἐβούλετο· Ἠλείους τε στρατευσαμένους εἰς τὸν Σκιλλοῦντα, καὶ βραδυνόντων Λακεδαιμονίων, ἐξελεῖν τὸ χωρίον.

9. Ὅτε

γύναιον, significant, non fuisse legitimam vxorem. — Δείναρχος, orator, cuius quaedam inter oratores Graecos supersunt. — ἐν τῷ ... ἀποστασίου: Scripta erat haec oratio Aeschylo, Xenophontis olim servo, qui alienum sibi patronum adsciuerat, vt Casaubonus et Menagius e Dionysio Halicarn. docent: nam talis defectio ἀποστασίου δίκην patrono aduersus clientem dabat. — Διόσκουροι ἐπεκαλ., non legitimo cognomine, credo, sed per cauillationem. Nam cum pater esset equitandi studiosissimus, credibile est, etiam filios ad hanc rem ita fuisse institutos, vt fere nunquam non equitantes, sicut Castor et Pollux, conspicerentur. — Σελινοῦς: Geographis minus notus est hic fluuius et alter Ioniae. Alius autem commemoratur Σελλήεις, vnde vulgo, deprauatione quadam, hic scribitur Σελληνοῦς. Nos quidem, Aldobrandini versionem et Menagii Zeuniique ad Exped. Cyri V, 3, 8. auctoritatem secuti, Σελινοῦς scripsimus, quod nomen ἀπὸ τῶν σελίνων, ab apii abundantia, factum Menagius statuit. — Pausaniae aetate, vt Hutchinsonus Diss. I. p. 6. ex ipso Pausania docet, eminebat propter fanum columna, his inscripta verbis: Ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς Ἀρτέμιδος· τὸν δὲ ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους, ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν. Ἐὰν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα, τῇ θεῷ μελήσει.

9. Ὅτε καὶ τοὺς υἱέας αὐτοῦ εἰς Λέπρεον ὑπεξελθεῖν μετ᾽ ὀλίγων οἰκετῶν, καὶ αὐτὸν Ξενοφῶντα εἰς τὴν Ἦλιν πρότερον, εἶτα καὶ εἰς Λέπρεον πρὸς τοὺς παῖδας, κἀκεῖθεν σὺν αὐτοῖς εἰς Κόρινθον διασωθῆναι, καὶ αὐτόθι κατοικῆσαι.

10. Ἐν τούτῳ δὲ ψηφισαμένων Ἀθηναίων βοηθεῖν Λακεδαιμονίοις, ἔπεμψε τοὺς παῖδας εἰς τὰς Ἀθήνας στρατευσομένους ὑπὲρ τῶν Λακεδαιμονίων. Καὶ γὰρ ἐπεπαίδευντο αὐτόθι, ἐν τῇ Σπάρτῃ, καθά φησι Διοκλῆς ἐν τοῖς βίοις τῶν φιλοσόφων. Ὁ μὲν οὖν Διόδωρος, οὐδὲν ἐπιφανὲς πράξας, ἐκ τῆς μάχης ἀνασώζεται· καὶ αὐτῷ υἱὸς ὁμώνυμος γίνεται τἀδελφῷ. Ὁ δὲ Γρύλλος, τεταγμένος κατὰ τοὺς ἱππέας, (ἦν δὲ ἡ μάχη περὶ Μαντίνειαν) ἰσχυρῶς ἀγωνισάμενος, ἐτελεύτησεν, ὥς φησιν Ἔφορος, ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ, Κηφισοδώρου μὲν ἱππαρχοῦντος, Ἡγησίλεω δὲ στρατηγοῦντος. Ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ καὶ Ἐπαμινώνδας ἔπεσε. Τηνικαῦτα δὴ καὶ τὸν Ξενοφῶντα φασὶ θύειν ἐστεμμένον· ἀπαγγελθέντος δ᾽ αὐτῷ τοῦ θανάτου, ἀποστεφανώσασθαι· ἔπειτα μαθόντα, ὅτι

§. 10. ἐπεπαίδ. ... Σπάρτῃ, et quidem, vt Menagius ex Plutarchi Agesilao docet, ὡς μαθησομένους τῶν μαθημάτων τὸ κάλλιστον, ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. — πέμπτῃ καὶ εἰκ. sc. βίβλῳ — Fortiter tulisse Xenophontem filii sui mortem, jam ex eo quis coniiciat, quod in historia Graeca extr., vbi de pugna illa narratur, in qua Gryllus cecidit, eius ne mentionem quidem facit. Sed testimonia multa in eam rem exstant, quae in primis diligenter collegit Menagius: Val. Max. V, 10. Aelian. V. H. III, 3. Stob. Serm. 106. Seneca Consol. ad Polyb. 30. etc. — Corona in sacris et conuiuiis laetitiae signum. Cf. ad Cyri discipl. III, 3, 34. — ἀλλὰ ... γεγεννηκώς: In Anaxagorae vita Diogenes haec habet: Ἀμφοτέρων αὐτῷ (τῷ Ἀναξαγόρᾳ) προσαγγελθέντων τῆς τε καταδίκης καὶ τῆς τῶν παίδων τελευτῆς, εἰπεῖν (φασίν), περὶ μὲν τῆς καταδίκης, ὅτι Ἄρα κἀκείνων κἀμοῦ πάλαι ἡ φύσις κατεψηφίσατο· περὶ δὲ τῶν παίδων· ᾔδειν αὐτοὺς θνητοὺς γεννήσας. Οἱ δὲ εἰς Σόλωνα τοῦτο ἀναφέρουσιν· ἄλλοι δὲ εἰς Ξενοφῶντα. Nempe si hoc Solon pri

ὅτι γενναίως, πάλιν ἐπιθέσθαι τὸν στέφανον. ἔνιοι δὲ οὐδὲ δακρῦσαι φασὶν αὐτόν· ἀλλὰ γὰρ, εἰπεῖν, ᾔδειν θνητὸν γεγεννηκώς. Φησὶ δὲ Ἀριστοτέλης, ὅτι ἐγκώμια καὶ ἐπιτάφιον Γρύλλου μυρίοι ὅσοι συνέγραψαν, τὸ μέρος καὶ τῷ πατρὶ χαριζόμενοι. Ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου, καὶ Σωκράτη φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι. Τίμων δ' ἐπισκώπτει αὐτὸν ἐν τούτοις·

Ἀσθενική τε λόγων δυὰς ἢ τριὰς, ἢ ἔτι πόρσω,
Οἷος Ξεινοφόων, ἥτ' Αἰσχίνου οὐκ ἐπιπειθὴς
Γράψαι. —

11. Καὶ ὁ μὲν βίος αὐτῷ τοιόσδε. Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐννενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ ἐπὶ ἄρχοντος Ξεναινέτου, ἑνὶ προτέρῳ ἔτει τῆς

primus dixit, ſapientis vox ab Anaxagora et Xenophonte repetita eſt. — Φησὶ δὲ Ἀριστοτ. fortaſſe in *Gryllo*, ſub quo nomine librum ſcripſit. — Τίμων: Cum nec cognomen, nec aliud quid adiectum ſit, haud dubie Phliaſius ille eſt, de quo auctor L. IX. extr. exponit. Accedit, quod ille pluribus libris philoſophos inſectatus eſt, et quod Satyras et Syllos ſcripſit, hos quidem ex parte verſibus Heroicis. — ἥτ' Αἰσχ. Caſaubonus coniicit ἧς τ' Αἰσχ. Fortaſſe etiam tale verbum fuit in verſu ſeq. poſt γράψαι. Etiam in Aeſchinis vita, vbi hi verſus repetuntur, ſcribitur ἥτ' Αἰσχίνου. — Οἷος: legendum puto Οἵους. — ἐπιπειθὴς eſt Stephani vndecunque prolata lectio. Vulgatum ἀπειθὴς nec ſenſum clarum fundit, et metro repugnat. De ſententia ipſa vid. Disp. de ingenio X. §. 12.

§. 11. ἤκμαζε: Quia ipſe annus Olympiadis, non amplius quoddam aetatis ſpatium indicatur, quo *floruerit*, ad ſummum *quoddam peruenerit*, poſſit quispiam hoc referre ad factum aliquod in primis glorioſum, ad ἀνάβασιν σὺν Κύρῳ, qua nihil illuſtrius patrauerit per totam vitam. Ambiguum verbum ἀκμάζειν ipſe Diogenes facit verbis §. 15. Εὗρον. ... Σωκρατικοῖς. Sed vtrobique *ſummum aetatis robur* intelligendum videtur. Expeditionem illam in Perſas a Xenophonte ſuſceptam eſſe anno aetatis 42 et 43 fere, in primis acute et copioſe docet Schneiderus in praef. ad X. hiſtoriam Graecam. — Ξεναινέτου: Diodorus Sic. Ἐξαινέτου hunc archontem nominat.

Ab

τῆς Σωκράτους τελευτῆς. Κατέστρεψε δὲ (καθά φησι Στησικλείδης ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ) ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιδημίδου, ἐφ᾽ οὗ καὶ Φίλιππος ὁ Ἀμύντου Μακεδόνων ἦρξε. τέθνηκε δὲ ἐν Κορίνθῳ (ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης) ἤδη δηλαδὴ γηραιὸς ἱκανῶς.

12. Ἀνὴρ τά τε ἄλλα γεγονὼς ἀγαθὸς, καὶ δὴ καὶ φίλιππος, καὶ φιλοκύνηγος, καὶ τακτικὸς, ὡς ἐκ των συγγραμμάτων δῆλον· εὐσεβής τε καὶ φιλοθύτης, καὶ ἱερεῖα διαγνῶναι ἱκανὸς, καὶ Σωκράτη ζηλώσας ἀκριβῶς.

13. Συν-

Ab aliis et Ἐπαίνετον dici, oſtendit Menagius — Καλλιδημ. Alii rectius vel Καλλιδήμου vel Καλλιμήδους.

§. 12. ἱερεῖα δ. ἱκανὸς Bene hoc Aldobrandinus ex ipſo Xenophonte illuſtrat, Exp. Cyri V, 6, 29. Cf. diſcipl. Cyri I, 6, 2. — φιλοθύτης: Eleganter ſignificat, non copioſe laudat Cyri hac in re ſtudium I, 5, 14. Sic, dum alii alia tractarent, ſacra curabat Cyrus VI, 3, 1 et 21. Alibi (vt I, 6, 3.) docetur, ſtudioſe benignitatem deorum demerendam eſſe ſacrificiis, vt nobis praeſto eſſe velint in calamitatibus. — Σωκρ. ... ἀκριβῶς, in omni vita, in corpore exercendo, in continentia, temperantia etc. Eodem ſenſu apud Euſebium Praeparat. XV, 61 videtur dici ἑταίρων eius γνωριμώτατος. Dionyſius Halicarn. in ep. ad Cn. Pompeium bonam eius indolem his verbis laudat: Ἦθος ἐπιδείκνυται θεοσεβὲς καὶ δίκαιον καὶ καρτερικὸν καὶ εὐπετὲς, ἁπάσαις τε συλλήβδην κεκοσμημένον ἀρεταῖς. Inter has virtutes recte etiam ponemus illas, quibus ipſe Cyrum ornauit, φιλανθρωπίαν, φιλομάθειαν et φιλοτιμίαν. *Facilitatem* porro ſuam ipſe laudat Exp. Cyri IV, 3, 10. Veruntamen haec pro temporis ratione magis ad prudentiam imperatoriam pertinet. *Pietatem* ſuam aduerſus deos ſub Cyri perſona eo maxime declarat, quod omnia eorum nutu geri profitetur: vnde illa tam multa et varia: σὺν θεοῖς, ἢν οἱ θεοὶ ἐθέλωσιν, Cyri diſcipl. V, 5, 19. et 44. VII, 1, 9. etc.

Quoniam hic character Xenophontis ab auctore fere abſoluitur, pauca ad eum plane exprimendum adiiciam. Φιλόκαλον fuiſſe, maximeque *in equis et armis eligendis decorem* et

13. Συνέγραψε δὲ βιβλία πρὸς τὰ τετταράκοντα, ἄλλων ἄλλως διαιρούντων· τήν τε ἀνάβασιν, ἧς κατὰ βιβλίον μὲν ἐποίησε προοίμιον, ὅλης δὲ οὔ· καὶ Κύρου παιδείαν, καὶ Ἑλληνικὰ, καὶ ἀπομνημονεύματα· συμπόσιόν τε, καὶ οἰκονομικὸν, καὶ περὶ ἱππικῆς, καὶ κυνηγετικὸν, καὶ ἱππαρχικὸν, ἀπολογίαν τε Σωκράτους, καὶ περὶ πόρων, καὶ Ἱέρωνα ἢ τυραννικὸν, Ἀγησίλαόν τε, καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.

Λέγε-

et elegantiam ſpectaſſe, Aelianus tradit, V. H. III, 24. Idem ſtudium ipſe tribuit Cyro maiori, Cyri diſcipl. VI, 1, 26. Fuiſſe *facetum*, aut delectatum ſaltem eſſe vrbanitate iocandi, vel ex eo credibile eſt, quia omnino Attici hoc in genere excellebant. Cic. Or. II, 54. et quia Lacedaemonii, quorum ipſe admirabatur omnia, ad hanc rem inſtituebantur. Sed plane hoc loquuntur eius ſcripta. Nam totum conuiuium, quod apud Platonem prorſus ſeuerum eſt, facetiis conſtat: et in Memorabilibus et diſciplina Cyri multa occurrunt, quae hoc eius iocandi ſtudium oſtendunt. Vid. Cyri diſcipl. II, 2, 1. et VIII, 4. paſſim. De charactere eius in vniuerſum cf. disp. de natura et vſu diſcipl. Cyri, §. 32.

§. 13. Συνέγραψε ... διαιρούντων, ita, vt vel plures vel pauciores numerari poſſint. Menagius: „Quatuordecim ſolum ſuperſunt cum aliquot epiſtolarum fragmentis.“ Hic ergo non ſingulos maiorum operum libros in numerum refert, v. g. *diſciplinae Cyri* octo; ſed, vt nunc rectius, tale opus pro vno libro habet. Attamen errare videntur, qui putant, multa eius ſcripta intercidiſſe. Nam haec ipſa, quae Diogenes enumerat, ad noſtram aetatem peruenerunt, neque ab aliis certum opus Xenophontis, quod ſciam, commemoratur, quod hodie non exſtet. Equidem credo, ſingulos libros *diſciplinae Cyri* octo, *expeditionis Cyri* ſeptem, et ſic porro, vt Suidas fecit, numerandos eſſe: qua ratione habebimus duo de quadraginta eius libros, vt credam, nullum omnino periiſſe, praeter epiſtolas. Idem videtur Stephanus ſtatuere. „Nam ſi de diuerſis,“ inquit, „operibus hos 40 eius libros acciperemus, qui fieret, vt nullum ex tot amiſſis libris fragmentum apud poſteros ſcriptores reperiretur?“ — ἧς κατὰ β. ... ὅλης δὲ οὔ: Nugatorium hoc quidem eſt. Tam multis multo grauioribus rebus omiſſis commode et hoc relinqui poterat. Sub prooemiis intelligit formulas illas, quibus Xenophon ſuperiorum librorum ſummas breuiter complectitur; v. c. L. II, c. 1. Ὡς μὲν οὖν ... δεδήλωται. — Λέ-

Λέγεται δ', ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλία λανθάνοντα, ὑφελέσθαι δυνάμενος, αὐτὸς εἰς δόξαν ἤγαγεν. —

14. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀττικὴ μοῦσα, γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας· ὅθεν καὶ πρὸς ἀλλήλους ζηλοτύ-

— Λέγεται ... ἤγαγεν: Hoc mihi re ipſa perquam obſcurum eſt: nam in verbis nihil, niſi τὸ ὑφελέσθαι ambiguum videtur, cum ſignificare poſſit vel *clam in ſuos vſus vertere*, ac *ſibi tamquam ſuum vindicare*, vel *clam auferre*, *vt tollas et aboleas*. Prius ob antecedentia probabile videri poſſit: ſed poſterius magis probandum, propter oppoſitum εἰς δόξαν ἤγαγεν. Sed iam recte quaeras, quomodo Thucydidis autographa nondum edita in Xenophontis manus venerint, ita vt ea, ſi vellet, delere poſſet. Equidem ex iis, qui de hac re aliquid tradere poſſent ac deberent, nihil elicere potui, vnde ſaltem intelligeretur, rem ſibi obſcuram videri. Fabricius in B. Gr. T. II. p. 726 (edit. Harl.) vbi fabulam de combuſtis cum Athenienſium bibliotheca Thucydidis libris, iisdemque e Demoſthenis memoria reſtitutis tangit, (Vid. Voſſ. inſtitut. or. II. p. 469. ſ.) „quis ſibi perſuadeat," inquit, „vnicum tantum fuiſſe exemplum operis Thucydidei, poſtquam Xenophon ſemel illud hactenus delitescens, cum ſupprimere poſſet, protuliſſet in lucem, verique auctoris gloriae vindicaſſet." Sed haec vereor, vt ſciendi cupido ſatisfaciant: nam neque factum neque rationem facti ſatis aperiunt. Quae hanc in rem adiiciam, ſaltem claram et certam ſententiam continebunt. Si illa ſatis conſtans fuit fama, et a certo auctore profecta, equidem crediderim, Thucydidem iam morbo laborantem Xenophonti ſcripta ſua vel corrigenda vel abſoluenda miſiſſe. Nam ſimilis fortuna fere afflictorum animos conciliat, praeſertim popularium. Quodſi vterque reuocatus eſt in patriam, vt auctor de Xenophonte §. 15 tradit et alii de Thucydide: illud eo facilius fieri potuit. Sed mirabile et vix credibile eſſet, nihil vel ab aliis vel ab ipſo Xenophonte hac de re clarioribus verbis eſſe proditum. Quare cum ipſe Diogenes, qui alias ſtudioſe indicat fontes, vnde res grauiores hauſerit, non auctore quocunque hoc prodat, ſed rumore incerto, mihi probabilius eſt, totum hoc e laude Xenophontis male intellecta ortum eſſe, vt quispiam dixerit, ſi Xenophon totam belli Peloponneſiaci hiſtoriam ſcribere voluiſſet, eum facile orationis ſuauitate Thucydidis ſcripta obſcurare aut penitus delere potuiſſe. Certe in laudem Xenophontis illud narratur: ſed ea non magna laus eſt, ſi quis dicitur ab inſigni improbitate et a peccato in hominem bene meritum ſimulque in aequales et in poſteros ſe abſtinuiſſe.

§. 14. Senſit Menagius, rectius hic ſcribi Ἀττικὴ μέλιττα, quam Ἀττ. Μοῦσα: ele-

λοτύπως εἶχον αὐτός τε καὶ Πλάτων, ὡς ἐν τῷ περὶ Πλάτωνος λέξομεν. ἔστι δὲ καὶ εἰς τοῦτον ἡμῶν ἐπιγράμματα τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον·

Οὐ μόνον ἐς Πέρσας ἀνέβη Ξενοφῶν διὰ Κῦρον,
'Αλλ' ἄνοδον ζητῶν ἐς Διὸς ἥτις ἄγοι.
Παιδείης γὰρ ἑῆς Ἑλληνικὰ πράγματα δείξας,
Ὡς καλὸν ἡ σοφίη μνήσατο Σωκράτεος.

Ἄλλο, ὡς ἐτελεύτα·

Εἰ καί σε Ξενοφῶν Κραναοῦ Κέκροπός τε πολῖται
Φεύγειν κατέγνων, τοῦ φίλου χάριν Κύρου·
'Αλλὰ Κόρινθος ἔδεκτο φιλόξενος, ᾗ σὺ φιληδῶν
Οὕτως ἀρέσκῃ, κεῖθι καὶ μένειν ἔγνως.

15 Εὗρον δὲ ἀλλαχόθι, ἀκμάσαι αὐτὸν περὶ τὴν ἐννάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν 'Ολυμπιάδα, σὺν τοῖς ἄλλοις Σωκρατικοῖς· καὶ Ἴστρος φησὶν, αὐτὸν φυγεῖν κατὰ ψήφισμα Εὐβούλου, καὶ κατελθεῖν κατὰ ψήφισμα τοῦ αὐτοῦ.

16. Γε-

eleganter et docte. Nam *γλυκύτης* aptius sequitur, et Musae nomen magis conuenit poetae, quam philosopho et historico. Accedit, vt ipse M. copiose docet, quod plures alii, sicut Xenophon ipse ap. Suidam, ob mellitam orationem *μέλιτται* dicti sunt. — *ζηλοτύπως ... λέξομεν*: Verba eius in vita Platonis sunt: *Ἔοικε δὲ καὶ Ξενοφῶν πρὸς αὐτὸν ἔχειν οὐκ εὐμενῶς. Ὥσπερ γοῦν διαφιλονικοῦντες, τὰ ὅμοια γεγράφασι, συμπόσιον, Σωκράτους ἀπολογίαν, τὰ ἠθικὰ ἀπομνημονεύματα· εἶθ' ὁ μὲν, πολιτείαν, ὁ δὲ, Κύρου παιδείαν. Καὶ ἐν τοῖς νόμοις ὁ Πλάτων πλάσμα φησὶν εἶναι τὴν παιδείαν αὐτοῦ· μὴ γὰρ εἶναι Κῦρον τοιοῦτον. Ἀμφότεροί τε Σωκράτους μνημονεύοντες· ἀλλήλων οὐδαμοῦ, πλὴν Ξενοφῶν Πλάτωνος, ἐν τρίτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων.* Et sic recte statuunt plerique, qui de his Socratis discipulis narrant. Nam portenti instar fuisset, si homines eiusdem ciuitatis, aetatis, disciplinae, magna laudis et gloriae cupiditate ardentes, ingenio ceterum et oratione tam inter se diuersi prorsus amice conspirassent: et Gellius operam perdit, qui eos a tali contentione et obtrectatione abfuisse docere conatur. — Sensus prioris epigrammatis est: „Non tam

16. Γεγόνασι δὲ Ξενοφῶντες ἑπτά· πρῶτος, αὐτὸς οὗτος· δεύτερος, Ἀθηναῖος, ἀδελφὸς Πυθοστράτου, τοῦ τὴν Θησηΐδα πεποιηκότος, γεγραφὼς ἄλλα τε καὶ βίον Ἐπαμινώνδου καὶ Πελοπίδου· τρίτος, ἰατρὸς Κῷος· τέταρτος, ἱστορίαν Ἀννιβαϊκὴν γεγραφώς· πέμπτος, μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένος· ἕκτος, Πάριος, ἀγαλματοποιός· ἕβδομος, κωμῳδίας ἀρχαίας ποιητής.

tam in Perſas adſcendit Xenophon, quam iter in coelum et ad immortalitatem illa expeditione quaeſiuit. Nam dum facta Graecorum enarrat ab egregia ſua diſciplina profectus docet, quanti facienda ſit ſapientia Socratis!" — Alterum epigramma per ſe prorſus friget. Sed auctor dicit, (quod ex ipſis verſibus apparere debebat) eo ſignificari, quomodo mortuus ſit. Hinc *μένειν* non tam debet eſſe *habitare*, quam *in ſepulchro iacere.*

§. 16. Plures etiam *Xenophontes*, quorum nomina ſcriptis innotuere, commemorat Menagius. Sed reliqui nihil ad nos pertinent. De noſtro, Grylli filio, Athenienſi plura, de puerili certe vita eius et inſtitutione aliquid nobis narratum eſſe malimus.

DISPV-

DISPVTATIO

DE INGENIO XENOPHONTIS SCRIPTORIS, ET DE VSV, QVEM EIVS LIBRI ET OLIM PRAESTITERVNT ET NVNC PRAESTARE POSSVNT.

Nihil Xenophontis noſtri laude tritius eſt, et nemo fere eum, vt ſcriptorem, commemorat, quin ſimul iucunditatem eius et mellitum dicendi genus praedicet. Ex quo non dubito, quin multis rem facillimam aggredi videar, quippe quae ab innumeris ſcriptoribus tractata ſit. Sed qui adhuc ſcripta eius vniuerſa ediderunt, non id negotii ſibi putarunt datum, vt de ingenio eius copioſe et diligenter disputarent, ſed fere ſatis habuerunt veterum quaedam iudicia et laudes, quibus illi eum ornarunt, in fronte operis ponere. Qui autem in ſingulis libris illuſtrandis elaborarunt, breuius etiam cenſuerunt ſibi defungendum eſſe: neque iniuria. Nam qui vnum et alterum eius librum illuſtrare inſtituit, is non totum Xenophontem, qualem ſe ipſe nobis oſtendit, exhibere, ſed eum ex aliqua tantum parte ſpectandum proponere et eius virtutes leuiter adumbratas dare vult. Sed ne plura: rem ſuſcipio difficillimam, ſed nullo modo praetermittendam. Nam inſtituti noſtri ratio, quam temporibus noſtris volumus eſſe quam accommodatiſſimam,

hoc vel maxime poſtulat, vt indolem Xenophontis planiſſime declarare ſtudeamus, eosque, qui ad eius lectionem accedant, doceamus, quos laboris ſui fructus ſperare poſſint.

(2) Primum illud vt melius fiat, breuiter ante oſtendamus, quale Xenophon habuerit vel natura ingenium vel educatione et diſciplina. *Ingenium* autem h. l. non latiori ſenſu dico, vt *characterem ethicum* ſimul complectar, ad quem informandum ea, quae habui, contuli ad eius vitam §. 12; ſed de facultatibus mentis loquor, e quibus ſcriptorem aeſtimare poſſimus. Atque hoc loco equidem affirmare non dubito, eum non habuiſſe magnam mentis vim ad res abditas et abſtruſas, vt vel ipſe facile tales res inueniret vel ab aliis inuentas intelligeret et diiudicaret, ſimulque diuturnam in hoc genere cogitationem perferre poſſet. Quod etſi magis leui coniectura, quam certa ratione ita ſtatuere videor, tamen non eſt temere reprobandum. Si de prima eius pueritia et de domeſtica, qua vſus eſt, diſciplina nobis conſtaret, aliquid firmamenti ſententiae noſtrae accederet. Sed tamen credibile eſt, eum a tenera aetate fuiſſe formatum aut ſuopte nutu incubuiſſe ad illarum artium ſtudia, quas inſequentibus annis maxime adamauit, vt canes aleret et equos, laboribusque corpus exerceret ac firmaret. Robuſtior autem factus quanti σωμασκίαν fecerit, multis locis ipſe declarat. Vid. in primis Memor. III, 12. Iam hodie quidem inter philoſophos conſtat, perquam raram eſſe in corpore duro ac firmo vim mentis inſignem, et, quae vires in corporis membra laborum aſſiduitate ducantur, eas ſubtrahi animo, ita vt alterutra hominis pars fere infirmior reperiatur. Accedit hoc vel grauiſſimum, quod in eius libris non vbique ordinem certum ſecundum rerum genera et partes inſti-

tutum

tutum deprehendimus, et quod Socratem interdum non ſubtiliter diſputantem inducit. Vid. quae dixi ad verſionem Germ. Memorabb. *Allgem. Betr. 3. Abſchn.* nec non III, 9, 5. IV, 4, 25 et alias paſſim, vbi non ipſa Socratis verba referri videntur. In Ageſilao, quod elogium non ſine cura compoſuit, tamen quaedam dixit perturbate. Cum temperantiam eius c. 5 laudaſſet, ad eam reuoluitur capite 9: et in ἀνακεφαλαιώσει quaedam ponit, de quibus plane non egerat, et quae amplificata magnopere ad regis laudem feciſſent; vt Ὁπότε ψεγόντων ... ἢ περὶ ὧν λέγοιεν, et τοὺς διαβόλους ... ἐμίσει, et τοῦ μὲν σ. ... τὸ δὲ ἀγαθῶν. (3) Propter eandem cauſam, quod cogitatione intenta rem in omnes partes verſare non poſſet, ſollertiam quandam deſideramus in rebus variandis ac ſententiis ad illud conſilium vel excogitandis vel noua ratione efferendis. Sic in Cyri diſciplina prooemii §phus 3 fere eodem modo habet, quo prooemium libri de rep. Lacedaemoniorum. In illo eſt: οὕτως ἐγιγνώσκομεν. ... Ἐπειδὴ δὲ ἐνενοήσαμεν ... ἐκ τούτου ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν: in hoc autem ἐννοήσας ... ἐθαύμασα· ἐπεὶ μέντοι κατενόησα ... οὐκέτι ἐθαύμαζον. Sed haec ſimilitudo defendi poteſt. Magis huc pertinet crebrior et, quantum ſentio, a rebus ſaepe alienior vſus methodi Socraticae et ad inductionis formam attemperata oratio. Conſideranti Cyri diſcipl. I, 1, 2. VI, 5, 13 ſſ. VIII, 2, 4. fortaſſe idem, quod nobis, videbitur. Cum per ſe illa ratio valde probanda ſit, tamen eius ſimilitudo in perpetua oratione et de omni rerum genere probari non poteſt, et animum prodit nimis ad hanc formulam adſuetum. Ex eadem diſciplina fluxit illud, quod in rebus per ſe claris, neque longa diſputatione egentibus, copioſius argumentatur. Sic iudicium ſubtilius deſideret quis in putida diſtinctione

 φιλο-

φιλοπολέμου et πολεμικοῦ Exped. Cyri I, 6. Non apparet certe, cur tam copiose Clearchus, vt belli amator — laudetur? an vituperetur? — In laude quidem hominis auctor vix posuerit. Nam etsi se ipse vel maxime bellicosum praebuit, tamen natura mansuetior, et, vt decebat philosophum, pacis, quam belli, fuit amantior. Vid. de Vectigalibus extr. vbi Athenienses grauissime ad seruandam et colendam pacem cohortatur. Ergo, vt illuc redeam, leuius in Clearchi laude belli studium tangendum erat, non copiose et singulatim, partitione facta, declarandum. Sed tamen etiamnum residet in nobis aliquid dubitationis, vtrum illa in rebus per se euidentibus argumentatio et copia, quam in aliis recte vituperes, in Xenophonte virtutis an vitii loco ponam. Quaedam certe loca sunt, in quibus ex illa ipsa ratione admirabilis quaedam ἐνάργεια exsistit. Vid. §. 8. Denique ad confirmandam sententiam propositam facit locus Dionysii Halicarn. in ep. ad Cn. Pompeium: Ὕψος, καὶ κάλλος, καὶ μεγαλοπρέπειαν, καὶ τὸ λεγόμενον ἰδίως πλάσμα ἱστορικὸν Ἡρόδοτος ἔχει. Οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἴσχυσε τοῦτο παρ᾽ αὐτοῦ λαβεῖν, ἀλλὰ κἂν ποτε διεγεῖραι βουληθείη τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὖρα, ταχέως σβέννυται· μακρότερος γὰρ γίγνεται τοῦ δέοντος ἐν πολλοῖς καὶ τοῦ πρέποντος. Non dicit οὐκ ἔλαβε, sed οὐκ ἴσχυσε λαβεῖν. Nimirum ad virtutem sublimitatis requiritur, quod in corpore duro et exercitato rarius est, animus mollis, vt ipse sentias, quae dicturus sis et hoc sensu commotus verba rebus apta reperias; neque minus mens acuta, vt rem verborum breuitate commendatam et ipse clare intelligas, et ab aliis intelligi speres. In Agesilao tamen et singulis quibusdam aliorum librorum locis cum oratio paullo sublimius assurgat et aequabili feratur grauitate, illud dubi-

dubitare quis poſſit, an recte Dionyſius iudicauerit. Sed de hoc poſtea §. 25.

Quae hactenus disſerui, vereor, vt iudicibus ſeveris probentur. Neque enim eo tantum videntur valere, vt Xenophon minus fuerit idoneus ad indagandas res involutas et obſcuras, de quo dicere coeperamus, ſed vt omnino eleganti iudicio caruerit. Huc ſane noſtra oratio videtur eſſe delapſa: ſed quam longe ab hac opinione remoti ſimus, reliqua disputatio plane docebit. Hoc autem intelligi volui, eum, qui non inſigniorem vim mentis habeat, remiſſa cogitatione facile labi, et hoc etiam Xenophonti interdum accidiſſe.

(4) Sed iam dudum me oportuit de virtutibus eius dicere: ad quas cum accedo, videor mihi quaſi onere quodam leuatus. Minus certe dubitanter hic agi poſſe, ſentio. Nam ita multa ſe ſponte offerunt, vt illa, neſcio quae, operoſe quaeſiſſe videar, meliusque facturus fuiſſe, ſi ſtatim ab eius laudibus, vtpote verioribus, orſus eſſem. Liceat mihi hoc loco ipſa librorum eius argumenta, ſ. materiam omnem, de qua tractauit, intactam relinquere, et de ſola ſcribendi forma dicere. De rebus ipſis dicendi locus infra dabitur, vbi de vtilitatibus ex eius lectione capiendis agere coeperimus.

Primum vniuerſe dicere poſſumus, excellentem eſſe ſcriptorem et maxima laude dignum. Hoc ex iis, quae poſt dicemus, clarum fiet. Hic autem teſtimonia tantum quaedam adiungam, in quibus item vniuerſe de laudibus eius pronuntiatur. Lucianus *de hiſt. conſcribenda*, cap. 39. eum vocat δίκαιον συγγραφέα, id eſt, vt interpretantur, *ſcriptorem, qualem oportet eſſe, ſuo nomine dignum.* (Cf. Cyri diſcipl. II, 2, 26.) Hanc laudem in vniverſum etiam veram eſſe, Lucianus ipſe facile conceſſerit. Hic tamen ad hiſtorici maxime virtutes ſpectat.

ſpectat. Vid. infra §. 37. Pluribus verbis eius laudes extollunt alii Graeci. Sed cum ad eius propriam dictionem reſpiciant, infra eorum auctoritate vtemur. E Latinis nobis in primis audiendi Cicero et Quintilianus. *Melle dulciorem Xenophontis eſſe ſermonem*, et *eius voce Muſas quaſi locutas eſſe*, iudicat Cicero Or. 9. et 19. Quintilianus autem X, 1. admiratur eius *iucunditatem inaffectatam; ipſas Gratias videri finxiſſe ſermonem*, et *in labris eius ſediſſe quandam perſuadendi deam.* Sed haec ipſa loca ſunt eiusmodi, vt peculiarem eius virtutem, de qua inde a §. 23 plura dicenda erunt, commendare videantur.

Neque vero quemquam mouere debet id, quod Helladius apud Photium ſcribit, eum non oportere haberi Ἀττικισμοῦ νομοθέτην. Breuiter hoc in Fabricii Bibl. Graeca et apud alios refertur. Sed ſi quis voluerit cognoſcere, quae copioſius, quam pro re, in hanc rem diſputat Stephanus in praefatione ad X. opp. itemque Hutchinſonus ad Cyrop. pag. 672 et Zeunius ad Cyrop. I, 1, 2, reperiet, verba hominis: διὸ νομοθέτην αὐτὸν οὐκ ἄν τις ἀττικισμοῦ παραλάβοι, non ad dictionem Atticam, i. e. normam apte res eloquendi referri, ſed ad vocales tantum quasdam ex Atticorum vſu non contrahendas; et hanc ipſam contractionem vitioſam eum falſo imputare Xenophonti, deceptum exemplo vitioſe ſcripto. Ergo illud, quod non parum de eius laude videtur derogare poſſe, plane ad nihilum recidit.

(5) Iam vt melius intelligatur, qualis ſcriptor Xenophon fuerit, tria librorum eius genera conſiderabimus. Sunt autem *a) philoſophici* ſiue, vt dicunt, *dogmatici; b) hiſtorici; c) oratorii.* De his dupliciter quaeremus, et quidem ita, vt primo videamus, quo ſingula ordine deſcripſerit, et qualem

vel

vel in toto, vel in maioribus capitibus tractandi secutus sit rationem; deinde quo elocutionis et orationis genere vsus sit, et quid in singulis quibusdam orationis partibus habuerit proprium. (6) Philosophica s. dogmatica eius opera cum sint vel dialogo scripta, vel perpetua oratione, in vtroque genere ea deprehenditur ars, vt subtilitas non desideretur, neque tamen vlla subtilioris rationis species appareat. In Oeconomici quidem initio prorsus dialecticam adhibet subtilitatem, et a primis initiis rem orditur, vt rei familiaris tuendae curam *arte* quadam contineri doceat, inde *obiectum* artis monstret ac *definitionem* οἰκονομίας et οἴκου ponat: sed his fundamentis iactis reliquum opus sine artificiosa coagmentatione, quae quidem facile animaduertatur, absoluit. Sic in reliquis libris dogmaticis non ordinem difficulter inueniendum sequitur, sed quem natura ipsa cuiuis non imprudenti homini ostendat. In libro *de rep. Lacedaemoniorum* a coniugio et procreatione sobolis profectus, per aetates maxime hominis procedens, rem persequitur. De *venatione* autem ita agit, vt, quae primum curanda sunt, vt de virtutibus venatorum et canum, ea primum enarret, deinde naturali ordine a mitioribus animalibus, quibus insidiantur venatores, progrediatur ad bestias ferociores. Quod si *disciplinam Cyri* non vt historicum librum, sed vt philosophicum considerare volumus, vt in ea non de vita et factis Cyri exponatur, sed exemplum proponatur hominis, qui pietate, prudentia et humanitate ad summam potentiam et felicitatem peruenerit, dicere item licebit, viam narrationis et ordinem temporis fuisse faciliorem, quam subtilem politicarum quaestionum per loca quaedam descriptionem. In primis eleganter iudicasse mihi videtur in *conuiuio*, non oportere in tali scripto vnum argumentum exponi, aut pauca

quaedam doctrinae capita, vt in Platonis conuiuio fit, diligenti fermone pertractari. Etiam illud acute vidit, minus probabilem effe perpetuum conuiuantium fermonem, et in quo nulla fiat loquendi intercapedo. Nam vt fit in conuiuiis et fimilibus hominum congreffibus, vbi res, de qua confabulantur, fatis eft pertractata, neque praefentibus quidquam in mentem venit, quod apte fermoni annectatur, fi quis adeft ingeniofior et communis delectationis ftudiofior, is nouam colloquendi materiam in medium affert. Hoc facit in illo libro Socrates.

(7) Probabiliter et perquam copiofe, disputatur Memor. I, 2, 19 ff. hominem temperantem ad intemperantiam prolabi poffe. Hanc in rem duo poëtarum teftimonia proferuntur, quibus ftatim fubiicit, quafi oblitus propofiti fui: κἀγὼ δὲ τούτοις μαρτυρῶ, vt rurfus, quam fententiam illorum auctoritate confirmarat, eandem ad has confirmandas adhibere et fefe in circulum vertere videatur. Sed ftudiofe, opinor, vitat nimis doctam orationem. Nemo certe aequior iudex negabit, quin ille locus etiam eruditis, qui folo cognofcendi ftudio legant, placere debeat. Similis eft locus Cyri difcipl. VIII, 8, 3., vbi verba οὐδ᾽ ... ἐπίστευεν per fe a fcriptoris popularis ratione non abhorrent. Sed aliae caufae fuerunt, vt ad illum locum oftendi, propter quas ea delerem.

(8) Sic in plerisque disputationibus, vbi non methodum Socraticam imitatur, ita fcribit, vt eum naturali magis follertia quam dialectica inftitutione verum vidiffe, et ad intelligendum apte explicaffe, credas. Non fententiis vniuerfe prolatis fyllogismos nectit, fed definita omnia locis et perfonis exfequitur. Quid facilius erat, magisque in promtu pofitum philofopho, quam *Cyri difcipl.* I, 2, 8 addere, „nihil

„nihil autem maiorem vim habet in teneros animos, quam exemplum?“ Sed maluit hoc intelligi, et ſatis habuit dicere, „magnam vim habet ad teneros (Perſarum) animos, quod ſeniorum vident exempla.“ Multo minus in phyſicis, ad quae perpaucis locis deducitur, vniuerſas ponit leges, neque dicit v. g. *Cyri diſcipl.* I, 2, 16. Ταῦτα δὲ οὐ δύναντται ποιεῖν οἱ ἄνθρωποι etc., ſed de Perſis ſolis loqui pergit, et ſic magis docte ſcribit, quam ſcripſiſſe videri vult: T. δὲ οὐκ ἐδύναντο etc. Illud tamen hoc loco commemorandum videtur, quod paſſim in rebus etiam per ſe claris et euidentibus argumentatione vtitur. Hoc miram rebus ἐνάργειαν quibusdam in locis affert: de quo ἐναργείας genere iudicia noſtrorum hominum ſine dubio ſunt diuerſa, ſed quod nobis quidem placet. De locis, qualis eſt *Cyri diſcipl.* VIII, 8, 10. δῆλον ... σφάλλειν, et ἐπειδὰν ... ἐξιέναι, ſuum cuique eſto iudicium: ſimplicitati quidem reliquae Xenophontis talia bene conueniunt. Sed alia, vt VIII, 2, 21. διαῤῥ. γὰρ ἂν et ἀποπν. γὰρ ἂν, et §. 23. οἱ γὰρ ... φυλάττουσιν, quae triſti et auſtero iudici videantur inepte ridicula, (*burlesques* intelligi volo;) et a ſeueritate reliquae orationis abhorrentia, nobis prorſus placent.

(9) Inter argumentationes ſ. formas argumenti tractandi Xenophonti maxime probatus fuit Sorites, cui in primis locus dabatur in Memorabilibus, vbi ad IV, 8, 1 ſſ. in commentariis loca plura indicaui. In talibus argumentationibus videtur ei res minus feliciter cedere, quam vbi naturali eloquentia vtitur. Nam partim haec ratio, cui prorſus dialecticam breuitatem ſeruat, non ſatis conuenit reliquae eius disputationi, quae plane popularis reperitur, partim id, quod docere vult, magis obſcurat, quam clarius reddit, quia enunciationes quasdam in

ea ponit ambiguas, neque fine interiecta breui argumentatione perfpicue inter fe nexas.

(10) Venio nunc ad grauiffimum caput rationis Xenophonteae, methodum fcilicet Socraticam, quae in *Memorabilibus* breui defcriptione et pluribus exemplis ab ipfo declaratur, et quam etiam adhibet in Oeconomico. Cum igitur haec disputatio ad vtrumque opus pertineat, confentaneum erit, hoc loco de ea disferere, vt illa colloquia, quae quibusdam puerilia et ludicra videntur, melius intelligi et rectius aeftimari poffint. Breuiter hic rem exfequar: copiofius hoc feci alibi. Ratio Socrati vfitata cernebatur in eo, vt res dilucidandas non perpetua oratione traderet, fed minutis interrogationibus, ad quas facilis effet refponfio, concideret, idque ita, vt non tam ipfe doceret, quam docenda eliceret ex altero. (11) Sed haec ipfa eius ratio maxime duplici diftincta erat colore. Nam fi in homines incideret ftolide fuperbos et vana fapientiae opinione inflatos, vtebatur *ironia*, hoc eft, quam rem illi penitus fibi cognitam et perfpectam effe credebant, eius prorfus fe fimulabat ignarum: et deinde callida laude captabat eorum fauorem, vt eo libentius ipfum fapientiae fcilicet fuae facerent participem. Cum autem fe maxime ftudiofum difcendi praeberet, et multa et varia opponendo interrogandoque inftaret, eos denique eo redigebat, vt fe illius rei prorfus ignaros effe intelligerent. Alios autem, maximeque difcipulos fuos aperte et fimpliciter erudiebat, (Memor. IV, 2, 40 et IV, 7, 1) et id quidem maxime via *inductionis oratoriae*, ita vt obftetriciam quafi operam iis nauaret, interrogando eliciens, quae cognofcere deberent. A rebus ergo notiffimis et maxime exploratis ordiebatur, (Memor. IV, 6.) et deinceps ad ea, quae volebat intelligi, crebris, vt dixi, in-

terro-

terrogationibus deducebat, exemplis in quamque rem petitis a rebus vulgo notis, vt artificum laboribus et inſtitutis. Hanc igitur Socraticam rationem non minus Xenophonteam appellare poſſumus; praeſertim cum hic tam diligenter magiſtrum imitatus ſit in omnibus rebus, et cum ad Memorabilia conſcribenda non tam verba Socratis ipſa, quam rerum ſummas notis excepiſſe videatur.

(12) Qui neſciunt, quam apta haec ratio ſit ad explorandam aliorum ſcientiam, et ad erudiendos indoctos eorumque ingenium acuendum, hi facile, vt dixi, dialogos Socraticos, vt nugas pueriles, rident; quorum hodie non paucos licet reperire, maxime inter eos, qui a rebus ſubtiliter indagandis et explorandis alieni fabellis fictis aut hornis verſiculis (nam qui annum tulere, noſtris fere fiunt vapidi) ſe delectant. Sed iam inter veteres fuerunt, quibus illa Socratica viderentur leuia. De ſophiſtis res eſt nota: minus vulgo notum, quod Diogenes in vita Xenophontis §. 10. habet, Timonem Xenophontis et Aeſchinis Socratici ſcripta riſiſſe vt ἀσθενικοὺς λόγους, i. e. *in quibus nihil graue, quod ad perſuadendum valeat, inſit.* Poſſit etiam ita intelligi, vt horum philoſophorum dialogi, quippe de rebus minus abditis et populariter ſcripti, acutiorum philoſophorum ſcriptis, veluti Platonis dialogis, poſtponantur. Sed τὸ οὐκ ἐπιπειθὴς priori interpretationi magis fauet, et Timon minime is fuit, qui abditis et inuolutis philoſophiae decretis aut quaeſtionibus obſcuris et difficilibus delectaretur.

(13) Conſiderauimus Xenophontem, vt philoſophum, et ita quidem, vt ex propoſito noſtro non tam de re, quam de oratione et diſſerendi forma quaereremus: ſequitur, vt eodem modo hiſtoricum cognoſcamus, et videamus, qui ſit eius character in rerum exponendarum modo. Prima hic nobis

occur-

occurrit auctoritas Dionyſii Halicarnaſſenſis, qui in epiſtola ad Cn. Pompeium de hiſtoriis eius haec pronuntiat: Οὐ μόνον τῶν ὑποθέσεων χάριν ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, ζηλωτὴς Ἡροδότου γενόμενος, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκονομίας. Ταῖς τε γὰρ ἀρχαῖς αὐτῶν ταῖς πρεπωδεστάταις κέχρηται, καὶ τελευτὰς ἑκάστῃ τὰς ἐπιτηδειοτάτας ἀποδέδωκε· μεμέρικέ τε καλῶς, καὶ τέταχε καὶ πεποίκιλκε τὴν γραφήν. Nimirum in enarranda hiſtoria cuiuscunque generis, quae non a rerum humanarum primordiis proficiſcatur, videndum eſt, vt neque iuſto altius res repetas, et ita dicas, quae dicere nihil attinet, neque iuſtae breuitatis ſtudio aliquid omittas, ſine quo ipſa facta, de quibus exponere velis, non ſatis intelligi poſſint. Hae ſunt ἀρχαὶ, quibus dicit Xenophontem vſum eſſe *aptiſſimis*, ſ. *commodiſſimis*. Pari modo illud curae eſſe debet, ne in narrando longius progrediaris, quam neceſſe eſt. Hoc ſenſu dicit eum *feciſſe*, *vt initiis extrema reſponderent*. Nam haec ad ſolam legentium voluptatem referre nolim, vt in iis, quae cognitu iucunda eſſent, et coeperit et deſierit. Verba μεμέρικε et τέταχε non ad deſcriptionem librorum pertinent, quam veteres fere pro arbitrio inſtituebant; ſed ad ordinem et deſcriptionem rerum, quae ſine dubio eſt optima. Non enim ſecutus eſt genera rerum, ſed tempora euentorum, qui ordo ad perſpicuitatem multum confert, et in hiſtoria, quae non gentes multum diuerſas et disſitas complectatur, maxime aptus et quaſi a natura ipſa monſtratus eſt. Ποικιλία videtur maxime tribui *diſciplinae Cyri*.

(14) Adiiciemus iam ea, quae praeterea hiſtoricos Xenophontis libros conſideranti in mentem venire poſſunt. Quod alias boni hiſtorici faciunt, vt graui aliquo prooemio lectorem attentum et docilem reddant, et vt eundem, vbi factum aliquod inſigne

occurrit, denuo excitent et efficiant, vt rem notabilem exſpectet, id in Xenophontis hiſtoriis deſideramus. Hactenus multo ſimplicior eſt, quam Caeſar: quod vtrum in laude ponendum ſit, lector quisque ſecum ſtatuet: Xenophontis quidem modeſtiae placuit haec ratio. Alii porro requirunt narrationes maxime inſtructas et oratorie exornatas et praeterea volunt a ſcriptore ipſo ſignificari, quid in rebus geſtis vel probandum vel vituperandum ſit, quidque ad vſum vitae publice aut priuatim poſſit conferri. Cum ne hoc quidem fecerit Xenophon, alii videant, quomodo eum excuſent. Nos quidem non dubitamus laudare magiſtram vitae, quae modeſto quodam orationis ornatu diſcipulis placeat, neque modo attentos et dociles eos reddat, ſed etiam demonſtret, quo maxime debeant animum intendere, quid penitius ſit cognoſcendum, quid propter alia et propter rerum inter ſe nexarum ſeriem non omnino praeteriri poſſit. Et quemadmodum magiſtra, vt hoc vtar, quae non nomine, ſed re, ſit *morum gubernatrix*, puellas fidei et diſciplinae ſuae creditas non ita in coetus et congregationes hominum introducit, vt ipſae vſu vitae et intuendis aliorum exemplis diſcant, ſed earum etiam moderatur in hoc genere ſtudia; ſic magiſtra illa vitae, hiſtoria, quae hoc nomine ſe dignam eſſe velit, non ſolum in ſuperiora tempora nos reducere debet, vt illis hominibus intereſſe et pro facultate noſtra, intuendis eorum exemplis, diſcere poſſimus, ſed melius tuetur perſonam ſuam, ſi nobis hac in re operam ſuam commodat et vtilitates inde capiendas demonſtrat. Sed, vt illuc redeam, Xenophontis hiſtoria, maximeque Graeca, illis ornamentis caret: (nam *Cyri diſciplinam* ad philoſophicos libros referri malim:) et illa prope ieiuna ſimplicitas facit, vt haec (hiſtoriam Graecam dico)

idoneis

idoneis talium rerum aeſtimatoribus minus placeat. Wolfius quidem, cuius iudicio multum tribuere debemus, ea non eſt delectatus. Nam in epiſtola ad Schneiderum eius editorem haec ſcripſit: „Me, vt verum fatear, quamquam pudet pigetque, huius libri Xenophontei ſiccitas, quum ſemel eam hiſtoriae cauſſa deuoraſſem, ſemper poſtea a diligentiore lectione absterruit.“ Sed iam ſatis multa de re, et fortaſſe praeter rem, diximus. Quae ad defendendam aut excuſandam auctoris rationem dici poſſunt, ea commodiori loco (§. 42.) perſequemur. Certe *expeditio Cyri* plus habet ſucci, et lectorem facilius in legendi ſtudio retinet. Adiiciam verba Voſſii *de arte hiſtorica*, qui de iudicio hiſtorico c. 18. ita loquitur: „Iudicium appello, quo hiſtoricus poſt rem narratam adfert ſententiam ſuam. Neque hanc partem neglexit Tullius in ſecundo de oratore. Iubet enim *de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor probet.* Verum, inquiunt nonnulli, praeiudicium ea res adfert lectori. Minime vero. Nam et quisquis legit hiſtoriam, ſecum tacitus iudicat: expedit vero, vt, vbi ad narrationis finem deuenerit, ſuum cum hiſtorici iudicio conferat. Nec tanti eſt, quod dicunt, ita narrationis filum abrumpi. Nam leuiculum hoc incommodum abunde compenſatur maiori emolumento, quod ex iudicio iſtoc conſequimur. Neque mouere debet, quod Xenophon ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς id neglexerit. Nam vti cauſſam habuit, cur eo opere iudicio ſuperſederet, ita alio in opere iudicium adhibet; nempe illo, quod Cyri ἀνάβασις inſcribitur.“

Ceterum e dictis intelligitur, Xenophontem in libris vere hiſtoricis nihil minus, quam pragmaticum ſcriptorem agere, h. e. eum, qui narrationem ita moderetur, vt lectores ad prudentiam rerum gerendarum inſtituat, ſed rerum geſtarum narratorem, ad cuius

cuius narrationes vtiliter cognoſcendas pragmatico potius lectore aut interprete opus ſit. Cf. §. 37.

(15) Cum in vnoquoque facto ad homines maxime reſpiciendum ſit, quorum primae in eo ſunt partes, multum lucis affunditur rebus, ſi mores et ingenia illorum accurate expreſſa ob oculos ponuntur. Minus probatur hac ex parte Xenophon. Hanc in rem Dionyſius in epiſtola ſupra laudata: (ὁ Ξενοφῶν) οὐχ, ὡς Ἡρόδοτος, ἐφάπτεται τῶν προσώπων εὐτυχῶς, ἀλλ᾽ ἐν πολλοῖς ὀλίγωρός ἐστιν, ἄν τις ὀρθῶς σκοπῇ. Non audeo equidem, neque poſſum, hominis docti et acuti iudicium improbare. Sed tamen habemus loca, vbi homines inſigni aliqua virtute aut vitio conſpicui optime pinguntur, vt Meno *Exp. Cyri* II, 6, 21 ſſ. Veriſſime autem videor hiſtoricum noſtrum defendere, ſi oſtendo, eum magis factis ipſis et oratione hominibus tributa, quam verbis ſuis ingenia et mores expreſſiſſe. Huc licet referre locum, vbi Critias et Theramenes inter ſe decertant. Hiſt. Gr. II, 3. Vid. et quae diximus ad *Cyri diſcipl.* I, 3, 16. I, 4, 8 et 15. II, 1, 6 ſ. Omnino *Cyri diſciplina*, vt opus maiori cura elaboratum, etiam hac ex parte multum habet virtutis. Luculentum exemplum praebet locus III, 1, 41. vbi non indoles, ſed tamen ſenſus mulieris, amor nempe coniugis recens nuptae egregie exprimitur. Nihil de hoc eius adverſus maritum amore dicitur: et tamen ardentior fingi non poteſt, quam ille, quem mulieris verba ſpirant: τὸν εἰπόντα ... δουλεύειν. Quantam vim verborum in fabulis Romanenſibus et ſcenicis amantes perdunt, vt alteri de ardore amoris ſui perſuadeant. Ardeat ſane amor ille: ſed frigent verba, quibus fidem facere volunt. Hic autem quam graviter, quam vere amor pingitur! Cogitemus modo nouam nuptam, quae in tanto ſalutis ſuae ſuorum-

que omnium discrimine maritum dicentem et eleganter quidem grauiterque dicentem audit. Cum omnino amantium hoc ſit proprium, vt fixis oculis eos, quos ament, intueantur, eorumque adſpectu ſe paſcant, quanto magis illa debuit hoc facere? et quam alte verba illa §. 36 κἂν τῆς ... δουλεύειν in eius animum deſcendere debuerunt! Denique vix hyperbolen agnoſcere poſſumus in eo, quod Cyrum a ſe viſum eſſe negat. Add. V, 3, 46 et VIII, 4, 12. Veruntamen, quod ante dixi, me non improbare Dionyſii iudicium, id non ſola eius auctoritate feci, ſed oſtendi in diſſ. *de natura et vſu diſciplinae Cyri* §. 35., auctorem in quibusdam fuiſſe ὀλίγωρον.

(16) Praeceptum etiam hoc eſt, vt totum hiſtoriae corpus membris cohaereat, neque res ita narrentur, vt ſi nihil inter ſe habeant neceſſitudinis: poſterius priori, vt dicit Lucianus ἁλύσεως τρόπῳ debet eſſe συνηρμοσμένον, ὡς μὴ διακεκόφθαι, μηδὲ διηγήσεις πολλὰς εἶναι ἀλλήλαις παρακειμένας. Et recte quidem ita praecipiunt. Cum enim res humanae omnes ea viciſſitudine mutentur, vt prior poſterioris cauſa ſit, vnumquodque factum, cuius in hiſtoria fit mentio, antecedenti hoc debet modo eſſe nexum: quod ni fit, hiſtoria videtur manca, eoque placet minus. Senſit hoc et Xenophon, in cuius hiſtoriis res omnes ita fluunt, vt ex vno capite manare credas. Atque etiam vbi diuerſorum hominum aut populorum geſta perſequitur, adhibet illa, quae Voſſius e Latinis commendat: *Interim, per id tempus, dum haec geruntur;* v. g. *H. Gr.* III, 2, 20. Τούτων δὲ πρ. IV, 8, 1. Ἐν ᾧ δὲ ταῦτα πάντα ἐπράττετο. VI, 1, 1 ſ. Οἱ μὲν οὖν ... Σχεδὸν δὲ etc. Ita intelligit lector, temporis ſaltem eiusdem facta narrari, et auctorem non aberrare a via, ſed tantum digre-

digredi, dum in eam redire possit. Cf. VII, 3, 4 et VII, 4, 1.

Cetera vero, quae in facti enarratione spectantur, vt locus, tempus, causa, modus eleganti iudicio et delectu fere vbique indicata esse, dubitatione caret. Nam si quis amplas et splendidas montium, fluminum, vrbium descriptiones desiderat, quales apud Curtium reperiuntur, is Xenophontis lectione non multum delectabitur: hic enim a tali vitio abstinet; si quidem recte hoc praecipit Lucianus *de historia conscr.*, in talibus maxime sobrie versandum esse, eaque leuiter tantum, τοῦ χρησίμου καὶ σαφοῦς ἕνεκα, tangi debere. Nobis quidem tales descriptiones magis poësin videntur decere, in historia vero minuere fidem, aut certe legentium animos a cogitatione rerum grauiorum abducere. Talium ergo rerum modum habet Xenophon, quem res et necessitas statuit.

(17) Breuitatem etiam h. l. laudare possumus, non eam, quae in verbis et sententiis inest, sed in delectu factorum, in quo iudicium scriptoris vel maxime se exserit. Nam quae per se facile intelliguntur, neque peculiarem in sese continent caussam, quare narrentur, ea prorsus praetermissa lectoris coniecturae permittit. Sic postquam Cyrus dixerat, (*Cyri discipl.* VIII, 5, 20) se propter conditionem nuptiarum sibi oblatam ad parentes profecturum esse, quod sine horum consensu eam accipere nollet, nihil de toto illo itinere, nihil de aduentu eius ad parentes, nihil de consultationibus aut gratulationibus commemoratur; sed Laconica fere breuitate §. 27. f. profectio in Persas cum reditu in Medos coniungitur, vt si paucarum horarum spatio tota haec res fuisset transacta. Quo magis abstinere talem scriptorem credas a commemorandis rebus, quae prorsus ad institutam histo-

riam non pertineant, ſed caſu per idem tempus, de quo agitur, euenerunt. Occurrunt quaedam, quae quis hoc nomine reprehendat, vt *Hiſt. Gr.* I, 2, extr. „Καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν οὕτως, ἐν ᾧ καὶ Μῆδοι ἀπὸ Δαρείου, τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἀποστάντες πάλιν προσεχώρησαν αὐτῷ: et I, 3, init. Τοῦ δ᾽ ἐπιόντος ἔτους ὁ ἐν Φωκαίᾳ νεὼς τῆς Ἀθηνᾶς ἐνεπρήσθη, πρηστῆρος ἐμπεσόντος. Sed Perſarum felicitas et aucta potentia magnum habebat momentum ad rerum Graecarum conditionem: et, ſi non iſto ipſo loco, certe non multo poſt, de Medis ad Perſarum imperium reuocatis mentio erat facienda. Quod autem ad Mineruae templum fulmine incenſum attinet, de hoc nondum ſatis nobis liquet. Videtur tamen ſcriptor Athenienſis, isque ſuperſtitioſior, de tali caſu Phocaeae, quae Athenienſium eſſet colonia, tacere non debuiſſe.

(18) Ad declarandam hiſtoriae Xenophonteae formam hoc porro pertinet. Orationes paullo longiores affert rectas, non obliquas. Hoc vnum eſt, quod in tenuitate et ſimplicitate reliquae narrationis ornatus quandam ſpeciem habet. Nam vbi verba loquentis ipſa redduntur, omnia videntur magis meditata et diligentius compoſita. Hic orationum directarum vſus, vtrum omnino probandus ſit, alii quaerent, et multi quaeſiuerunt; et copioſe quidem Voſſius *de arte hiſt.* c. 20 ſ. qui eas exemplis magis, quam rationibus commendat: Xenophontis characteri, ſi quid ſentio, conuenientior vtique fuiſſet obliquae orationis forma.

(19) Sed quoniam his maxime orationibus Xenophon ſe oratorem oſtendit, age iam ad tertium illud veniamus, vt haec et reliqua eius opuſcula cognoſcamus, quae facultatem oratoriam prae ceteris poſcunt. Nam etſi proprie quidem Xenophon in oratorum numero haberi nequit, tamen hanc mihi

mihi veniam dabunt aequi iudices, vt vim quandam eloquentiae ei tribuam, eumque, non nomine ſed re ipſa oratorem, oratoribus adiungam. Enimuero Ageſilaus proprie ad oratoria opera pertinet, neque minus Socratis Apologia et Memorabilia. Sed nos hic iuſtas tantum orationes quasdam perſequemur, cum de illis operibus ſeorſim dicendum ſit. In his igitur orationibus exordia ſunt aut ad tempus aut ad rem ſatis apta et auditoribus grata; propoſitiones a delectu verborum et breuitate minus commendabiles; argumentorum collocatio minime artificioſa. Sic et in elocutione ſcriptor eſt ſui ſimilis, vt verbis vulgaribus et, vt ita dicam, iuſto modeſtioribus ea, quae vel maxime ad cauſam pertinent, efferat: vnde fit, vt is, qui minus attente ſingula cognoſcit et probe ponderata ad propoſitum refert, eum in dicendo prorſus infantem eſſe iudicet, vt qui multa verba fruſtra profundat. Conſilium orationis Cyro tributae in *Cyri diſcipl.* I, 5, 7 ſſ. eſt hoc, vt Homotimi laude ipſis impertita capiantur, et vt eo ſtudioſius ad bellum ſe ſuaque omnia parent. Sed inepti oratoris fuiſſet, hoc ipſum propoſitione declarare. Inuolutum ergo latet in re ipſa, quae in eo verti videtur, *vt intelligant Homotimi, ſe fidenti animo ad bellum poſſe exire.*

(20) In excellentiſſima illa, et quod ad ſingulas partes attinet, breuiſſima oratione VII, 5, 70 idem accidere poteſt minus attente legenti, vt eam propter copiam rerum vitioſe verboſam et propter aequabilitatem ſedate placideque dicentis languere et neruis carere videatur. Idem color orationis eſt, ſed artificium peculiare IV, 3, 8 ſſ. de quo in commentariis dixi. Non diuerſus eſt habitus orationum, quae in Exped. Cyri leguntur, vt III, 3, 31 ſſ. III, 2, 7 ſſ. vbi auctor e ſua perſona dicens nihil ſibi affinxit praecipuum, et ſine meditatae orationis ſpe-

cie magnam adhibet eloquentiam. Non auſim omnia defendere et laudare. Sic illa concio *Cyri diſcipl.* II, 3, 2. ſſ. quorſus ſpectet, aut quam neceſſaria ſit, minus apparet. Videntur auditores ad fortitudinem excitari ac deinde cauſa de praemiis proponi ad deliberandum: quorum poſterius cum faciat partem potiorem, priora non videntur bene praemiſſa: ſunt enim vulgaria et iuſto latius dicta, ſi comparentur cum extremis: Νῦν οὖν, ἔφη etc. quae conſilium orationis ſ. partem potiorem continent. Quae quis requirat in oratione II, 1, 15 ſſ. ſcripta, diximus ad illum ipſum locum. Denique ſicut auctor in hiſtoriis facta praecipue memorabilia non facit illuſtriora et maiori ſplendore verborum commendat, ſed omnia fere lectorum iudicio permittit; ita in orationibus argumenta grauiſſima non ſtudioſius auget et amplificat, ſed ab auditoribus ſperat ſponte intelligi, quid maxime ad rem propoſitam valeat. Hoc probari nullo modo poſſe, ipſa eloquentiae natura docet. Sed tamen ſi quis docilis auditor hanc oratoris rationem nouit, eo ſtudioſius dicenti operam dabit, quemadmodum nos legentes Xenophonti, quoniam ſcimus rerum grauiſſimarum pondera paſſim ſub verbis leuiſſimis latere.

(21) Sed ſunt etiam loca extra iuſtas orationes, quae propter inſignem vim eo magis delectant ac mouent, quo minus talia in ſcriptore tam ſimplici et aequabili exſpectes. Verum haec magis ad elocutionis genus pertinent, de qua paullo poſt dicam. Hic autem adiiciam aliquid, quod ad omnes eius libros pertinet.

In eo nimis negligens cuipiam videatur, quod libris ſuis partim tam leuia, partim prorſus nulla prooemia dedit. Sed illa recte ab Ariſtide et aliis in laude ponuntur. Saltem ipſa eorum breuitate modeſte ſignificat, ſibi ſua non adeo magna videri

et admiranda, ſeque re ipſa magis, quam verbis non neceſſariis, lectorem allicere velle. Quod vero ad eos libros attinet, quibus omnino nihil prooemii loco praemiſſum eſt, hoc opinamur, velut membra, ad corpus librorum continuo labore ſcriptorum pertinere. In quibusdam particulae καὶ, ἀλλὰ, δὲ oſtendunt, in eodem volumine alium librum anteceſſiſſe; vt propter ſimilitudinem argumenti nouus adiungi poſſet. Ita *conuiuio* praemiſſus fuit, credo, liber ſeuerioris argumenti; libro *de venatione* alius, qui praecepta eiusdem artis contineret, vt ex primis ſententiis horum librorum coniici poteſt. (22) Non alienum erit, Luciani quaedam verba huc transtuliſſe, e quibus intelligatur, quomodo ipſe Xenophontis cauſam de prooemiis egerit. Sic autem ille c. 23 *de hiſt. conſcribenda:* Ἴδοις ἂν ἀφθόνους τοιούτους συγγραφέας, τοῦ Ῥοδίων Κολοσσοῦ τὴν κεφαλὴν ναννώδει σώματι ἐπιτιθέντας· ἄλλους αὖ ἀκέφαλα τὰ σώματα εἰσάγοντας, ἀπροοιμίαστα, καὶ εὐθὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων· οἳ καὶ προσεταιρίζονται τὸν Ξενοφῶντα, οὕτως ἀρξάμενον· „Δαρείου καὶ Παρυσάτιδος παῖδες γίγνονται δύο·“ καὶ ἄλλους τῶν παλαιῶν· οὐκ εἰδότες, ὡς δυνάμει τινὰ προοίμιά ἐστι λεληθότα τοὺς πολλοὺς, ὡς ἐν ἄλλοις δείξομεν. Quod ſe alio loco dicturum promittit, id c. 52 paucis effert: Πάντων δὲ ἤδη, inquit, παρεσκευασμένων καὶ ἀπροοιμίαστον μέν ποτε ποιήσεται τὴν ἀρχὴν, ὅταν μὴ πάνυ κατεπείγῃ τὸ πρᾶγμα προδιοικήσασθαί τι ἐν τῷ προοιμίῳ· δυνάμῃ δὲ καὶ τότε φροιμίῳ χρήσεται, τῷ ἀποσαφοῦντι περὶ τῶν λεκτέων. Verba δυν. ... χρήσεται recte ita interpretantur: *vim quidem ipſam prooemii tum quoque adhibebit.* Iam quomodo illud δυνάμει (*vi* et *re ipſa*) fieri poſſit, oſtenditur verbis extremis, vbi τῷ ἀποσ. ſubſtantiue capiendum eſt: *declaratione rerum dicendarum*,

darum, i. e. vt paucissimis dicatur v. g.: *Res Graecorum hoc libro enarrabo.* Sed ne talem quidem sententiam Xenophon praemisit, vt alio modo defendi debeat. Eandem auctoris modestiam agnoscimus e librorum inscriptionibus, in quibus minus promittit, quam re ipsa praestat.

(23) Deinceps, vt ab initio proposuimus, videndum est, quae fuerit Xenophontis elocutio s. forma dicendi: quae ex verborum maxime delectu et singularum sententiarum habitu exsistit. Hanc rem vnam vtcunque declarasse plerique satis habent, qui eius ingenium exprimere volunt. Cum rhetores tria maxime statuant orationis genera, humile, medium et sublime, primum illud genus, quod et submissum, tenue, subtile, aliisque nominibus appellant, Xenophonti assignatur, ita vt in hoc genere sit perfectum dicendi exemplar.

Haec oratio constat verbis e sermone quotidiano petitis: vnde „imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.“ Sic eleganter iudicat Cicero Or. 23. Nam verba illa non solum vsitata, verum etiam maxime propria esse debent, hoc est, eiusmodi, quae rem maxime explanent. Ad huius dictionis aequabilitatem accedere debent aliae virtutes oratoriae minus illustres, vt modica copia verborum in commutando, suauis et apta temperatio sonorum ac numerorum, tum vicissitudo membrorum et periodorum et modestus ornatus e metaphoris et figuris a re ipsa et vt e solo suo natis. Haec et alia, vt vrbanitatis quidam color (de quo infra §. 39), conciliant huic generi magnam suauitatem, cum nulla pars singulatim ornatu magnifico splendeat, omnes autem illae gratiae coniunctim sentiantur et totum habitum orationis reddant venustum. Graeci cum aliis nominibus tum ἰδιωτισμοῦ nomine hoc genus appellant; quamquam Xeno-

Xenophon paullulum vltra ἰδιωτισμὸν aſſurgere vide-
tur. Elegantiſſimum autem Senecae habemus locum,
(*Controu.* III Praef.) quem lectores ſtudioſi libenter
hic recognoſcent: „Idiotiſmus eſt inter oratorias vir-
tutes res, quae raro procedit. Magno enim tem-
peramento opus eſt et occaſione quadam. Hac va-
rie vſus eſt (Albutius). Saepe illi bene ceſſit, ſae-
pe decidit. Nec tamen mirum eſt, ſi difficulter
apprehenditur vitio tam vicina virtus. Hoc nemo
praeſtitit vnquam Gallione noſtro decentius. Iam
adoleſcentulus cum declamaret, apte et conuenien-
ter et decenter hoc genere vtebatur: quod eo ma-
gis mirabar, quia tenera aetas refugit omne, non
tantum, quod ſordidum, ſed et, quod ſordido
ſimile eſt." Sed haec latius explicare, non eſt no-
ſtri inſtituti. Illud tamen adiicere mihi licebit,
quod minus rem, quam cauſam noſtram attingit,
omnia videri fuiſſe in Xenophonte, quae ſcriptorem
ſubtilem efficere debent. Nam non omnia comme-
morauit Seneca, quae poterat. Nemo enim eam
virtutem aſſequitur, niſi qui habeat ingenium clare
intelligendis rebus aptum, et animum natura vel ae-
tate placidum et ſedatum. Huc porro accedat, opor-
tet, multa elegantium librorum lectio, conſuetudo
cum hominibus politis, ſenſus pulchri et decori acu-
tus, et, quod minus notum eſſe puto, grauitas
quaedam animi, qua aeque remotus ſis ab imitan-
di ſtudio, atque ab imitationis fuga. Omnia haec
fuiſſe in Xenophonte, longum et difficile ſit do-
cere: ſed tamen e vita et ſcriptis eius hoc patere
arbitror. Sed, ne per deuerticula in circulum de-
nique agamur, ſufficit, vt teſtimoniis ei propriam
illam rationem ſcribendi aſſeramus. Nam argumen-
tis proprie ſic dictis res, quae magis ſenſu ex tot
rebus percipiendo iudicari debet, vix confici poteſt:
et inductione vtendum eſſet; non plena, (quod ne-

mo ſanus conari poteſt) ſed aliquot exemplorum, et locis aliorum ſcriptorum e genere temperato et ſublimi comparatis, ex quo non multo maior probabilitas exſiſteret. Dionyſius Halicarn. l. l. vbi de λεκτικῷ Xenophontis τύπῳ loquitur, καθαρὸς μὲν, inquit, τοῖς ὀνόμασιν ἱκανῶς, καὶ σαφὴς, καθάπερ ἐκεῖνος (ὁ Ἡρόδοτος)· ἐκλέγει δὲ ὀνόματα συνήθη, καὶ προσφυῆ τοῖς πράγμασι, καὶ συντίθησιν αὐτὰ ἡδέως πάνυ καὶ κεχαρισμένως. Sed ob eandem cauſam deteriorem iudicat Herodoto, qui ſit ornatior et grandior dictione. Hermogenes porro ei maximam ἀφέλειαν tribuit, vbi inter alia multa: Καθαρὸς δὲ καὶ εὐκρινὴς, εἴπερ τις ἕτερος ὁ Ξενοφῶν· δριμύτησι καὶ ὀξύτησι χαίρων ... ἐπιμελείᾳ δὲ, ὡς ἐν ἀφελείᾳ τε καὶ ἀπλάστῳ λόγῳ, χρῆται πολλῇ. Cicero cum *a forenſi ſtrepitu remotiſſimum* iudicat (Or. 9.), eandem ſignificat orationis ſubtilitatem: cui de Or. II, 14. ſuam tribuit laudem. Nam de hiſtoricis disputantem facit Antonium, in qua disputatione haec leguntur: *Xenophon ... ſcripſit hiſtoriam: ... leniore quodam ſono eſt vſus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortaſſe minus, ſed aliquanto tamen eſt, vt mihi quidem videtur, dulcior,* (quam Calliſthenes.) Quintilianus autem, locupletiſſimus in hoc genere auctor, X, 1. his eum ornat: *Quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam, ſed quam nulla poſſit affectatio conſequi? vt ipſae finxiſſe ſermonem Gratiae videantur, et, quod de Pericle veteris comoediae teſtimonium eſt, in hunc transferri iuſtiſſime poſſit, in labris eius ſediſſe quandam perſuadendi deam.* Putidum ſit plura in eandem rem congerere, velut ex Ariſtide περὶ ἀφελοῦς λόγου, e Marcellini vita Thucydidis et aliis, qui vel de hoc genere orationis vel de laudibus Xenophontis agunt. Cf. et Erneſti Lex. Technol. Gr. Rhetoricae ſub ἰσχνός.

(24) Iam

(24) Iam etsi, vt ostendi, magis testimoniis, quam rationibus, Xenophonti genus suum dicendi asserendum est, tamen etiamnum adspergemus quaedam in hanc rem, ne diligentiorem cogitationem defugisse et quam facillime defungi voluisse dicamur. Maxime tamen ob eam caussam id faciemus, vt appareat, in maxima simplicitate verborum res et sententias esse posse maxime graues et admirabiles. Cum et in sententiis et in verbis illa subtilitas cernatur, primum huc referre possumus loca, vbi mores et ingenia hominum nuda factorum narratione pinguntur. Vid. §. 15. Nam doctiora magisque ad splendorem composita sunt, quae vniverse de aliqua persona et a pluribus factis abstracta pronuntiantur, quam quae de eadem praedicantur certo tempore et loco facta (velut Virg. Ecl. 3, 64 f.). Deinde etiam in sententiis infinite prolatis subtilitas inest, si maxime verae et vtiles neque vulgares sunt, et tamen sine vlla exornatione aut amplificatione ponuntur, vt *Cyri discipl.* I, 6, 25 extr. vbi res ipsa non modo permittebat, sed suadebat, vt pro ἐπικ. τὶ diceretur ἐπικουφίζει θαυμαστὸν ὅσον. Sed illa breuitas etiam studium talis orationis declarat. Quotus enim quisque in tali sententia sibi temperet a tractatione loci communis et a splendida et copiosa eius exornatione? Modesta haec breuitas non dubito, quin Scipioni magis placuerit, quam ipsa grauitas rei. Similem breuitatem admiramur VI, 1, 46. VII, 3, 15. VIII, 7, 24. Porro lacrimas disertas nostri rhetores recte laudant, quae huic generi vel maxime conueniunt, etsi non negarim, etiam sublime genus illis ornari VI, 4, 3.

Verborum tenuitas in quo insit, iam ostendi. Sed haec adiungam. Primo singulae enuntiationes apud hunc sunt plenae, neque inusitata ellipsi in angustum contractae. Nam talis breuitas arguit ar-

tem quandam et grauitatis affectationem, quae a ſubmiſſa dictione abhorret. Qua de cauſa recte, vt opinor, τὸ χρόνον defendi *Cyri diſcipl.* I, 1, 1. Aliud, quod monere volui, pertinet ad gratam, quam vocant, negligentiam, de cuius virtute omnino ſubdubito. Repetitio v. c. eiusdem vocis, vbi commutate dici poterat, plerumque neceſſaria eſt, quia nouo verbo noui quid, et a ſuperiori diſtinguendum, videtur afferri, vt *Cyri diſcipl.* I, 5, 5. vbi τῷ προσελέσθαι, vt exiſtimo, nullum aliud verbum ſubſtitui poterat. Concinnitatis aliquid deſiderari poteſt paucis quibusdam locis, vt IV, 1, 13. vbi poſt ἅμα δὲ exſpectes: ὅτι αὐτός τε π. etc. et V, 3, 30. vbi pronum erat antecedenti βουλόμενος ſubiicere ἐννοούμενον, accommodatis ad hanc ſtructuram reliquis. Talia ſane magis rerum, quam verborum ſtudium produnt, ſed magis excuſatione, quam laude ſunt ornanda. Repentini autem transitus ab oratione directa ad obliquam, (vt III, 2, 29) anantapodota (VI, 3, 17), anacolutha (VIII, 1, 46.) quid gratiae habeant, equidem non video. Quaedam huius generis vſu fuerint mollita: cetera credo iniuria vetuſtatis eſſe deprauata. Quae auctor Socratica quadam ironia modeſte de ſe praedicat *de Venat.* 13, 4. oſtendunt illa quidem, eum magis de rebus cogitaſſe, quam de verbis, ſed tamen ſignificant etiam non obſcure, eum non ſummam aut praecipuam adhibuiſſe, Sophiſtarum more, verborum curam. Verba ipſa vid. §. 31.

(25) Explicauimus hactenus genus dicendi, quod vnum fere laudatur in Xenophonte. Neque tamen ille vbique hoc genus ſubmiſſum ſequitur, ſed, vbi res poſtulat, aſſurgit altius, et inter temperatam et ſublimem adeo fertur orationem. Primo *Ageſilai* encomium quantum diſcrepet a reliquis eius ſcriptis, ex eo intelligas, quod Valkenarius eum libellum non

non Xenophontis eſſe, ſed alicuius ſophiſtae ſtatuit. Deinde huc pertinent verba Cyri I, 4, 1. ἠλλ. ... οὐρανὸν et καλλίω ... περιωκοδ., quae ob hyperbolen inſignem multum a ſubtili ſermone abhorrent, et, quamquam in re leui, tamen, vt a puero vſurpata venandi ſtudioſiſſimo, ſublimia videri debent. Illuſtrior etiam eſt oratio Pantheae VI, 4, 5. cuius vim aperuimus in commentariis. Ad temperatum vero genus dicendi ſine dubitatione referre poſſumus egregium illum locum Memor. II, 1, 21 ſſ. Bene hanc in partem Hutchinſonus Disſert. I. p. IX. „Mihi quidem perperam iudicare videntur, qui ſtilum Xenophonti tenuem humilemue in vniuerſum tribuunt: hoc enim quo minus paſſim vteretur, argumenti eum dignitas impediebat.“ etc. Haec non repugnant iis, quae ſupra (§. 3.) disſeruimus. Quis enim neget, etiam imbecilli corporis vehementes quosdam impetus eſſe poſſe? Sic non negamus, Xenophontem potuiſſe animum ſuum ita intendere, vt ad ſublimiorem orationem aſſurgeret, quamquam ad ſubmiſſam dictionem natus et factus fuiſſe reperitur.

(26) Sed iam preſſius etiam agendum videtur. Nam ad ſcriptorem penitus in vtramque partem cognoſcendum ſingularia quoque, ſi quae habet, animaduertenda ſunt. Atque ad hoc genus apud noſtrum referenda ſunt verba poëtica paſſim pro vulgaribus poſita. Clare hanc in rem Hermogenes: Ἴδιον δὲ Ξενοφῶντος καὶ τὸ κατὰ ποσὰ διαστήματα χρῆσθαι ποιητικαῖς πως λέξεσι πολὺ τῶν ἄλλων τῇ φύσει διεστηκυίαις λέξεων, ὥσπερ ὅταν λέγει π ο ρ σ ύ ν ε ι ν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Idem obſeruant a Platone fieri. Neque hoc prorſus vituperandum eſt. Nam aut ad rem, aut ad numeros ſonus quidam grauior aut verbum inſolentius interdum poteſt requiri. Fortaſſe tamen verba quaedam poſte-

riori

riori aetate vſurpari vulgo deſita poëticorum vim obtinebant, cum Socraticis temporibus in communi ſermone eſſent frequentata: et neſcio an hoc ipſum πορσύνειν ex hoc numero ſit.

(27) Leue eſt, quod iam a nobis obſeruatum referemus: ſed tamen hic locum habere poterit, quia vel maxime Xenophonti videtur eſſe proprium. Amat nempe datiuos commodi, vbi alii, alia verborum ſtructura vſi, genitiuos, aut omnino nullum nomen ponunt. Nihil aliud, niſi loca hic congeremus a nobis notata. *Diſcipl. Cyri* III, 3, 59. IV, 5, 4. V, 5, 14. VI, 2, 1. VI, 3, 13. VII, 5, 74. *Ageſ.* I, 31. *Hiero* I, 2. II, 4. II, 7. III, 1. III, 3. XI, 1. *Memor.* I, 1, 1.

(28) In temperatione membrorum et periodorum non nimiam adhibet curam. Harum quaedam ſunt ita rotundae, vt neque exercitatiſſimo videantur potuiſſe ſponte excidere, vt *Cyri diſcipl.* VI, 3, 15. Οὗτος οὔτε αἰσχροῦ etc. In talibus aures adhibere oportet. Sed ſunt alia, quae ipſis oculis percipiuntur, vt relatiua pronomina demonſtratiuis praepoſita, (*Cyri diſcipl.* I, 6, 36. *Exp. Cyri* III, 1, 43) ſententiae in medio conciſae, aliisque interpoſitis coagmentatae, (quarum exempla ſunt infinita,) quae ſtudium huius artificii produnt. Verum haec, vt tralatitia, mittam.

Numerorum autem, vt Atticus, eſt ſtudioſior. Difficile eſt exemplis probare rem, quae maxime aurium iudicio conſtat. Sed aeque difficile fuerit approbare nobis, eum fuiſſe hac in parte negligentem: cuius rei documenta dediſſet certiſſima, ſi nulla de cauſa ſimilitudine et aequa menſura membrorum et periodorum vſus eſſe deprehenderetur, vel etiam verſibus intempeſtiuis paſſim aliud agenti elapſis. Sed ita his rebus temperata eſt eius dictio, vt id ſine aliqua cura et cogitatione fieri non potuerit.

rit. At ecce tibi verſum hexametrum ἄκαιρον, ſ. vt Zeunius dicit, inopinatum, *Cyri diſcipl.* VIII, 2, 8. Ego vero perſuadere mihi nullo modo poſſum, Xenophonti hunc verſum excidiſſe. Nam ſi nos, qui in χρυσοχάλινοι nullam prorſus quantitatem ſyllabarum auribus diiudicare poſſumus, tamen verſum hunc eſſe animaduertimus, quanto magis ipſe auctor hoc ſtatim percipere debuit? Fit hoc quidem apud optimos ſcriptores, vt in binis ſententiis prioris extrema et poſterioris prima dimidiatos contineant verſiculos: verum talia non audiuntur, et ponuntur non vitioſe. At vbi in vno ſenſu ab antecedentibus et inſequentibus iuſta interpunctione ſecreto verſus auditur, tum vero numerus eſt vitioſus, et prodit ſcriptorem malum aut disſolute negligentem. Denique certus ſum equidem, verſum illum fuiſſe vulgo notum, adeo vt auctoris nomen non opus eſſet adiicere.

Valde decantatum eſt illud, Graecos et in primis Atticos admodum ſtudioſe cauere, ne fiat concurſus vocalium. Sed huius ſtudii quendam modum habent. Quaeuis Attici ſcriptoris pagina exhibet hiatus, eosque partim ſatis vaſtos. Quae illam in rem proferri ſolent, vt abiectio vocalium et contractio (e celeritate loquendi orta), adiectio τοῦ Ν ἐφελκυστικοῦ (quae in certis tantum terminationibus locum cepit) nolo pluribus examinare: ſed quorſum hoc dixerim, ſignificabo. Nempe nemo ea, quae optimis ſcriptoribus vſitata ſunt, Xenophonti vitio vertet, vt eum v. g. in commiſſura vocum minus diligentem fuiſſe arguat, vt *Cyri diſcipl.* I, 4, 2. ἃ οἱ ὁ. Sunt alia quaedam apud Graecos vſitata et ſimili aequitate diiudicanda, vt cum antecedenti verbo non verbum certum opponunt, ſed ſola negandi particula periodum adeo terminant, v. g. τὰ μὲν ἀγαθὸς, τὰ δ᾽ οὐ. Ad hoc genus pertinet

tinet *Cyri discipl.* V, 2, 18. Memor. I, 1, 19. Sic Plato aliquoties in Phaedro τῷ ἐρῶντι opponit τὸν μή. Videntur hactenus Latini acutius sensisse. Desideramus enim potius certum aliquod oppositum, quam prioris praedicati negationem, quae mentem lectoris quasi vacuam relinquit.

Sine dubio virtus quaedam inest in collocatione verbi alieno per se loco positi, vt etiam ambiguitatis species inde oriatur. Loca ipsa exscribam, vt clarius fiat, quid intelligi velim. *Cyri discipl.* VIII, 8, 16. Ἐκείνοις γὰρ πρῶτον μὲν τὰς εὐνὰς οὐ μόνον ἀρκεῖ μαλακῶς ὑποστρώννυσθαι, ἀλλ' ἤδη καὶ τῶν κλινῶν τοὺς πόδας ἐπὶ ταπίδων τιθέασιν. In his patet, verbum μόνον pertinere ad μαλακῶς ὑποστρώννυσθαι, non ad ἀρκεῖ, cui iunctum est. Sic et §pho seq. trahendum est μόνον ad ἐσκεπάσθαι. *Cyri exped.* III, 4, 47 legimus: Σὺ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππου ὀχῇ, ἐγὼ δὲ χαλεπῶς κάμνω τὴν ἀσπίδα φέρων. Hic Soteridas non *aegre* (aut *male*, f. *vehementer*) *defessus est*; vt quispiam capere possit, sed *aegre ferre potest clypeum*: et tamen primo adspectu χαλεπῶς ad κάμνω pertinere videatur. In *Historia Graeca* II, 4, 17 εὐδαίμων δὲ καὶ, inquit Thrasybulus, ἄν τις ἀποθάνῃ· μνημείου γὰρ οὐδεὶς οὕτω πλούσιος ὢν καλοῦ τεύξεται. Statim intelligas οὕτω et καλοῦ esse iungenda, non οὕτω et πλούσιος, quod sensum prorsus ineptum efficeret. Videtur haec verborum collocatio vim quandam orationi addere, cum vno spiritu et celeriter tales sententiae recitandae sint.

(29) A figuris Xenophon modicum petit ornatum. Raro παρήχησιν habet; vt *Cyri exp.* III, 1, 41. *Hist. Gr.* VII, 5, 22. Crebro autem vtitur interrogatione, vt *Cyri discipl.* V, 3, 33. Loca similia sunt multa, in quibus minus necessaria atque adeo frigidior est. Insignem vim habet anapho-

rae iuncta VIII, 7, 15. Hac anaphorae figura nihil apud nostrum est frequentius: cuius cum proferre possemus infinita exempla, pauca tantum e copiosa supellectile nostra depromemus. *Cyri discipl.* I, 6, 11. VI, 4, 20. Memor. II, 1, 32. In primis placuerunt illi, et recte quidem, verba πάντα μὲν πόνον, πάντα δὲ κίνδυνον, quae saepius adhibet, vt *Cyri discipl.* I, 2, 1. *Hi.* VII, 1. Quaedam etiam horum nescio an frigeant, v. c. *Cyri discipl.* VIII, 5, 2. *Hist. Gr.* VII, 1, 1. VII, 1, 17. *de vectigg.* II, 2.

(30) Iam satis diu in eodem argumento haesimus. Quamobrem si hoc vnum adiecero, finem huic disputationi faciam. Translata reperiuntur apud elegantes scriptores nomina, quae verius αἰνιγματώδη appellare possis, quia vix intelligantur, nisi ab ipso scriptore adiecta sit explicatio. Hoc genus est, quod Cicero in Officiis, nescio quo loco, habet: *Optima haereditas a parentibus traditur liberis ... gloria virtutis et rerum gestarum:* et ad diu. II, 5. *Est tibi grauis aduersaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio.* Sic Cicero et alias explicationem addit, vno nomine per appositionem subiuncto. Xenophon autem saepe post illud tropicum verbum interpungit, et nouam sententiam interpretandi causa subiicit. *Cyri discipl.* II, 3, 13. VII, 5, 82. Memor. II, 1, 31. Tulliana illa forma, vt breuior et grauior vtique magis placet. Neque tamen haec Xenophontea multo videtur deterior. Decet enim subtilem orationem, vt paullo amplior sit, et gratiam aliquam in eo habet, quod animus paullisper suspensus tenetur. Omnino nullum artificium ad res et verba commendanda Xenophonti incognitum fuisse crediderim. *Conuiuium* tot virtutibus splendet, quot in tam exiguo libello vix locum capere posse existimes. Noua, mirabi-

lia, grandia, ridicula paſſim in *Cyri diſciplina* occurrunt: neque vis illa, quae rebus ex oppoſitione accedit, deſideratur. Vid. *Cyri diſcipl.* II, 2, 17.

Sed dudum ſenſi, me ſuſcepiſſe rem infiniti laboris. Quis enim eloquendi modos non dicam omnes (magno enim volumine opus eſſet), ſed peculiares tantum maximeque inſignes, iuſta comparatione inſtituta, perſequi poſſit? Neque tamen me poenitet conatus dediſſe aliquos. Vti enim pictores etiam mediocres leui adumbratione hominis imaginem exprimere poſſunt, paucis tantum, quibus agnoſcatur, lineamentis ductis, ita mihi fortaſſe contigit, orationis Xenophonteae imaginem, aliquot modis et formis eloquendi expoſitis, vtcunque expreſſiſſe.

---

(31) Reſtat altera pars argumenti noſtri, qua docebimus, quem vſum ſcripta Xenophontis et olim praeſtiterint, et nunc praeſtare poſſint. Hac enim via nobis ingrediendum videtur, vt oſtendamus primo, quid vtilitatis auctor aetati ſuae et ciuibus ſuis, vt ſcriptor, attulerit. Habet enim optimus quisque ſcriptor hoc propoſitum, vt ſuae inprimis aetatis lectores delectet et doceat. Hos enim et horum vitia virtutesque nouit, et, quomodo illis mederi, aut has confirmare queat, intelligit. Eorundem porro vel laude vel vituperatione maxime mouetur: neque tam inſequens aetas ad nos pertinet, vt contemtis et relictis aequalibus inter poſteros verſari velimus, qui, quales futuri, quid probaturi aut lecturi ſint, nulla coniectura poſſumus aſſequi. Nam quod Lucianus aliique dicunt, non aequalibus ſed poſteris ſcribendum eſſe, id ipſo aequalium prudentiorum iudicio probari debet, ita vt ab his ſcriptor incorruptus et probus, meritorum

prae-

praemia, quae poſteri dare nequeunt, exſpectare poſſit. Hoc ergo primum ſpectauit Xenophon, vt ſcriptis ſuis ciues rerum optimarum ſcientia et virtutis amore imbueret. Audiamus ipſum, quamquam in ſua cauſa teſtem, tamen teſtem fide digniſſimum: ſingulae enim eius paginae re ipſa idem teſtantur. Sic autem ille *de Venat.* 13, 4. ſſ.: *Ἐγὼ ἰδιώτης μὲν εἰμὶ, οἶδα δὲ, ὅτι κράτιστον μέν ἐστι παρὰ τῆς αὐτῆς φύσεως τὸ ἀγαθὸν διδάσκεσθαι· δεύτερον δὲ, παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν τι ἐπισταμένων μᾶλλον, ἢ ὑπὸ τῶν ἐξαπατᾷν τέχνην ἐχόντων. Ἴσως οὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν οὐ σεσοφισμένως λέγω· οὐδὲ γὰρ ζητῶ τοῦτο· ὧν δὲ δέονται εἰς ἀρετὴν οἱ καλῶς πεπαιδευμένοι, ὀρθῶς ἐγνωσμένα ζητῶ λέγειν. Ὀνόματα μὲν γὰρ οὐκ ἂν παιδεύσειαν, εἰ καλῶς ἔχοιεν. ... Καίτοι γέγραπται γε οὕτως, ἵνα ὀρθῶς ἔχῃ, καὶ μὴ σοφιστικοὺς ποιῇ, ἀλλὰ σοφοὺς καὶ ἀγαθούς. Οὐ γὰρ δοκεῖν αὐτὰ βούλομαι μᾶλλον, ἢ εἶναι χρήσιμα, ἵνα ἀνεξέλεγκτα ᾖ εἰς ἀεί.* Magis ad ſua tempora reſpicit in prooemio libri *de re equeſtri,* vbi *τοῖς νεωτέροις τῶν φίλων* operam ſuam dicatam eſſe oſtendit. Alius teſtis ſit Dionyſius Hal., qui in epiſtola ſaepius commemorata eius hiſtorica laudat, vbi *τὰς ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν*, inquit. *ἐξελέξατο καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς, καὶ ἀνδρὶ φιλοσόφῳ προσηκούσας. ... Οὐ μόνον δὲ τῶν ὑποθέσεων χάριν ἄξιος ἐπαινεῖσθαι* etc. E recentioribus eleganter in hanc rem Meiners in *Geſchichte ... der Wiſſenſch. in Griechenl. u. Rom,* T. II. p. 630. „*Xenophon ließ keinen Zweig von Kenntniſſen, der Jünglingen und Männern nützlich und unentbehrlich war, unbearbeitet, und machte die Griechen nicht nur mit den Verfaſſungen ihrer Staaten, mit der Geſchichte und den Begebenheiten ihrer Zeit bekannt: ſondern lehrte ſie auch durch Regeln und*

 Muſter,

Muſter, wie ſie Leib und Seele bilden, und durch Weisheit und Tugend eben ſo glücklich, als Socrates, werden könnten; wie ſie ihre Häuſer und Vaterſtädte regieren, ihre Feinde überwinden, und ihre Bürger im Kriege anführen müßten."

(32) Sed iam diligentius aperiemus, quibus modis eius ſcripta vel publice vel priuatim olim profuerint. Hic primo vt certum ponere poſſumus, ea ſtudioſe a Graecis maximeque ab Athenienſibus eſſe lectitata. Teſtimonium certum equidem non habeo: ſed tamen alia ſunt, quae hanc rem non minus videntur confirmare. Nam cum poſt Socratis indignam mortem Athenienſes reſipuiſſent, vt eius agnoſcerent innocentiam et merita in rem publicam, valde probabile eſt, etiam hoc feciſſe, vt eum maxime ſcriptorem colerent, ab eo diſcere vellent, qui fuiſſet diſcipulorum eius γνωριμώτατος. Cf. vita X. c. 12. Sed iam propter genus ſcribendi tam populare nullus ſcriptor debuit vulgo magis in deliciis eſſe, quam Xenophon, ita vt ſummi maxime et infimi eum, quemadmodum nuper apud nos Gellertum, lectitarent. Nam ſophiſtarum opera nimio fortaſſe fuco et artificio diſplicebant, ſaltem rerum ſubtilitate et obſcuritate deterrebant a legendo, cum praeſertim Socraticis diſputationibus eorum valde imminuta eſſet auctoritas. Platonis autem acumen et grauitatem pauci capere et admirari poterant. Etiam illud aliquid coniecturam noſtram iuuat, quod omnes paucis exceptis, aut ad vnum omnes eius libri ad nos peruenerunt: quod paucis ſcriptoribus antiquis contigit, et quod vix potuiſſet fieri, niſi multa inter multos exſtitiſſent eorum exempla. Denique hoc vt grauiſſimum afferre poſſum, quod res, quas libris ſuis, maximeque hiſtoricis tractauit, ſunt eiusmodi, vt illis temporibus quemuis etiam mediocriter intelligentem

ad

ad ſe allicere debuerint, neque quisquam, niſi homo prorſus abiecti et ſeruilis animi, eas vt ad ſe nihil pertinentes, negligere potuerit. Cf. §. 37 et 42.

(33) Quod ſi res ita ſe habet, non vno nomine publice optime meritus eſt Xenophon. Nam vt illud omittam, quod pietatem erga deos tam ſtudioſe et dictis et factis commendauit, quae pietas, vt in illa gente, ſpecioſior, quam vtilior fuerit, hoc certe primum cum magna eius laude commemorari poteſt, quod moralem doctrinam Socratis popularibus ſuis tradidit, eosque iuſtitia, temperantia, fortitudine aliisque virtutibus imbuere ſtuduit. Hanc eius operam non fruſtra fuiſſe ſusceptam, perſuaſum nobis habere poſſumus, etſi ex hiſtoria plane doceri non poteſt. Nam vt in ſingulis hominibus talis inſtitutio non ſtatim fructus fert exoptatos, aut oculis quaſi demonſtrandos, ſic in gentibus et nationibus.

Sed haec Socratica diſciplina cum a me nuper diligentius examinaretur, viſa eſt magno laborare vitio, quod officia humanitatis non certis praeceptis commendaret. Liceat nobis de hac re quaedam interponere ab inſtituto non prorſus aliena. Obſeruaueram loca quaedam non facile inter ſe concilianda, e quibus Socrates aut hoc videtur habuiſſe propoſitum, vt doceret, quomodo quis aliorum amicitia ſe dignum reddere, aut quomodo amicis maxime vtilis eſſe, inimicis autem et hoſtibus maxima mala inferre, aut denique quomodo rem familiarem et publicam adminiſtrare deberet. Loca ſunt haec: *Memor.* I, 2, 8, 48, 64. II, 1, 19. IV, 1, 2. IV, 2, 11. *Oecon.* II, 6 ... 8. Cf. *Cyri diſcipl.* II, 2, 14. et VIII, 7, 28. in quibus cum nulla humanitatis mentio fiat, tamen ſumma doctrinae Socraticae et maximae hominis virtu-

tes significari videntur. Sed postquam ea diligentius expendi, hoc statuere posse visus sum, humanitatis virtutem magis nomine, quam re, ab eius doctrina fuisse exclusam. In Cyro quidem φιλανθρωπία maxime laudatur, et de δικαιοσύνῃ passim ita dicitur, vt eam non solum aduersus ciues, sed etiam aduersus barbaros obseruandam esse intelligamus. Accedit hoc, quod apud Xenophontem vocabulum πολιτικοῦ latius videtur patere, vt eo non tam significetur *homo regendae ciuitati aptus*, quam omnino *bonus ciuis*. Sic *Cyri discipl.* II, 2, 14. *animus* πολιτικὸς est *animus recte formatus ad officia erga ciues obseruanda.* Locus autem, ex quo illud clarius intelligitur, est is, quem indicaui vltimum, Memor. IV, 2, 11. vbi homines liberaliter instituti praedicatum habent πολιτικῶν, a quo distinguuntur vt ἄρχειν ἱκανοί: vnde saltem statuere possumus, Socratem saepius, quam quis credat, ciuium erga ciues officia commendasse. Sed vt illuc redeamus, vnde deflexinus, quae paullo ante proposuimus, ea dubitare non sinunt, quin Xenophon explicata Socratis doctrina ciuitati suae plurimum profuerit. Nam iucunditate illa sua et mellito genere orationis omnes et ciuis et hominis virtutes commendauit, et ea quidem moderatione, vt se ipsae commendasse et veritas ipsa caussam suam egisse videatur. Hanc in rem cum alia loca possunt afferri, tum e *conuiuio* locus de amore, quem, vt in publica caussa, in primis laudamus, quia constat, quam foeda lue masculi amoris non solum Athenienses, sed etiam reliqui Graeci se polluerint. Ad hanc auertendam aut saltem coërcendam pestem non dubitamus, quin illa disputatio magnam vim exseruerit.

(34) Alterum, quo Xenophon, vt scriptor, bene meruit, in eo ponimus, quod modestiam, (obedientiam

dientiam dico legibus tempore belli et pacis praeſtandam,) tam ſaepe et tam grauiter commendauit. Nempe hoc vitio tunc maxime laborabat ciuitas Athenienſis, vt ne in grauiſſimis quidem negotiis ciues dicto audientes eſſent magiſtratibus. Vid. Memor. III, 5, 16 *de rep. Lac.* 8, 2. et alibi. Infinitis ergo locis maximeque in *Cyri diſciplina* commendat τὴν πειθὼ, τὸ πειθαρχεῖν, τὸ εὐτακτεῖν, docetque illa modeſtia ſalutem reipublicae et domi et foris conſtare, vt defendere poſſimus, ex eius praeceptis fluxiſſe, aut iis certe confirmatum eſſe, ſi quid laudis a modeſtia poſteriori aetate Athenienſes meruerunt. Nam ſub Iphicrate et Phocione, qui partim eadem aetate, partim non multo poſt exercitibus praefuerunt, milites iam ſeueriori diſciplina ſe ipſi continebant: neque fortaſſe ſola Iphicratis prudentia factum eſt, vt haberet milites tam dicto audientes. Nep. XI, 2. Eandem laudem Athenienſes poſt illa tempora videntur ſeruaſſe. Demoſthenes quidem cum eorum publica vitia grauiter reprehendat, de immodeſtia tamen militum nihil, quantum memini, conqueritur. Sed ipſe agnoſco et fateor, haec omnia eſſe eiusmodi, vt multa poſſint in contrariam partem dici, neque ſine certa fide auctoris quidquam in Xenophontis laudem cedere poſſe, cum res ipſa non ſatis etiam ſit explorata; multaeque aliae cauſſae poſſint afferri, quibus mores et ingenia hominum mutentur, quarum quae ſit veriſſima, nemo facile pro certo dixerit. Sed tamen hoc affirmare non dubito, Xenophontis disputationes et cohortationes aliquantum profuiſſe ad coercendam Athenienſium licentiam et immodeſtiam et ad reuocandam vel confirmandam meliorem diſciplinam.

(35) Multum etiam alia erant vitioſa in moribus et inſtitutis Athenienſium, de quibus auctor

quid ſentiendum ſit, partim e perſona Socratis oſtendit, partim ſuo nomine in libris politicis candide et libere docet, partim etiam venuſtius, laudandis Cyri maioris inſtitutis. Talia quid vtilitatis reipublicae attulerint, non magis definire auſim, quam de illis, quae modo attigi. Veruntamen et hanc in partem patriae conſultum voluit, et fortaſſe conſuluit. Quodſi minus magni fuit eius in hac re opera, magis temporum illam fuiſſe culpam credo, quam aut ipſius, aut ciuium ſuorum. Macedonum enim impotentia factum eſt, vt non tam corrigendae, quam defendendae ciuitatis curam habere neceſſe eſſet.

(36) Sed iam ad certiora progrediamur. Ad priuatae vitae vſum haud dubie plurimum contulit. Primo enim artes vtiliſſimas, quas ipſe vſu penitus cognitas exercuerat, tradidit; in his artem bellicam, qua neſcio, plus vniuerſis, an ſingulis profuerit. Vid. *de natura et vſu diſciplinae Cyri*, §. 37 ſſ. Verum etiam rei familiaris adminiſtrandae ratio ita eſt ab eo expoſita, vt illis temporibus nemo facile paterfamilias tam vſu expertus eſſet, quin aliquid eius lectione addiſcere poſſet. Notum eſt illud Ciceronis *de ſenectute* c. 17: „*Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt, quos legite, quaeſo, ſtudioſe, vt facitis. Quam copioſe ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur.*“ etc. Neque vero minus ars equitandi et venandi commemoranda eſt, quarum vtramque, ſi minus eleganter, at accuratius et plenius, quam ab aliis erat factum, enarrauit.

(37) Hiſtorici eius libri doctis hominibus et πολιτικοῖς erant vtiliſſimi. Et hic quidem prudentia eius, doctrina et animus multo rerum vſu excultus credere nos iubet, eum vera vbique narrare potuiſſe; egregia vero animi indoles, eum idem et voluiſ-

voluiſſe. Lucianus certe iuſtas habuit cauſas, cur eum vocaret *δίκαιον συγγραφέα* h. e. vt volunt, *hiſtoricum, qualem oportet eſſe*, omnino *bonum*, vel potius *iuſtum*, qui ſuum cuique tribuat, neque falſam laudem hominibus propter gratiam affingat, neque ob inuidiam et odium veram iis detrahat. Verba eius hanc vocis *δικαίου* acceptionem magis videntur ſuadere. Totus locus ita habet: *Οὐ Ξενοφῶν αὐτὸ ποιήσει*, (vt ſpe aut timore aliquid falſi dicat,) *δίκαιος συγγραφεύς· οὐδὲ Θουκυδίδης· ἀλλὰ κἂν ἰδίᾳ μισῇ τινας, πολὺ ἀναγκαιότερον ἡγήσεται τὸ κοινὸν, καὶ τὴν ἀλήθειαν περὶ πλείονος ποιήσεται τῆς ἔχθρας· κἂν φιλῇ, ὅμως οὐκ ἀφέξεται ἁμαρτάνοντος.* Ad verba *κἂν μισῇ τινας* monet Solanus, Xenophontem ac Thucydidem innui, quorum vterque factione ciuili in exilium acti, nihil tamen odii in inimicos in hiſtoria, teſte omni antiquitate admiſcuerint. Verum, vt illuc redeam, dixi, tantum doctis hominibus hiſtorica Xenophontis opera fuiſſe vtilia. Cauſſae facile repetuntur e ſupra dictis §. 14 f. Cum enim ſiluam tantum rerum geſtarum congeſſerit, lectorum intelligentiae et coniecturae reliquit multum.

Neque tamen ſine voluptate minus etiam prudentes illa legere potuerunt. Quotus enim quisque tam iners reperitur et vecors, vt, quae ſuo tempore aut paullo ante geſta ſint, et quorum cummaxime effecta cernantur, ea cognoſcere non curet? Nihil nobilius fuit et eſt apud nos bello tricennali, quod ſuperiori ſeculo Germaniam vaſtauit. Atqui non minori animorum motu et varietate fortunae apud Graecos geſtum eſt bellum Peloponneſiacum, de quo legere et audire aliquid etiam pueris debuit eſſe iucundum, idque eo magis, quo plus in liberis ciuitatibus infimus quisque rerum publicarum curam ad ſe pertinere putat.

(38) Ceterum quam ſupra publicam cauſſam fecí, quod doctrinam Socraticam populari oratione populo commendauit, ea res quam late pateat, intelligentes non eſt quod doceam. Tantum dicam, vti Socrates omnino de rebus in vita occurrentibus disſeruit, et ea docuit, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ ἀγνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κεκλῆσθαι, (Memor. I, 1, 16.) ita diſcipulum et interpretem eius multas res omni tempore vtiles de moribus et ingeniis hominum et de vita priuata et publica, ad vitam modeſte et prudenter agendam, tradidiſſe: quo nomine cum alia eius opera, tum *Cyri diſciplina* magnum olim debuit habere vſum, neque multo minorem nunc habet, mutatis tot rebus, et vniuerſa prope vita humana aliter inſtituta.

(39) Sed iam ad extremam partem accedemus, in qua nobis declarandum eſt, quem vſum Xenophontis libri hodie praeſtare poſſint. Attingit hic locus vniuerſam illam quaeſtionem, vtrum ſcriptores Graeci et Latini noſtris temporibus magnam vtilitatem habeant, qua commode ad amplificandum argumentum vti poſſem, ſi tam inſignem et ſpecie ſaltem copioſam laudem illi parare, quam veram et modicam enarrare animus eſſet. Hoc igitur, quod reliquum eſt disputationis noſtrae, paucis vt res ipſa fert, abſoluemus: neque capita quaedam, vt in ſuperioribus fecimus, diligentius deſcripta habebimus, ſed vt quidque in mentem venit, ita priori aut poſteriori loco commemorabimus.

Primum igitur, quo Xenophontis lectio noſtra aetate prodeſſe poſſit, (etſi cuipiam leue, quibusdam etiam abſurdum videatur) hoc ponemus, quod linguae Graecae ſtudium ea maxime vel excitari vel ali et augeri poteſt. Nam facilitas et ſimplicitas in verborum ſtructura et omnino totius orationis per-

perſpicuitas omnibus tironibus eſt maxime accommodata, multis etiam ipſarum rerum tenuitas. Quod ſi quid eam in partem deſideres, tamen ſcriptorem intellectu faciliorem non reperias. Hanc igitur in rem ſi docuero iam profuiſſe et etiamnum prodeſſe Xenophontis ſcripta, planiſſime apparebit, quod dixi, prodeſſe poſſe. Iam vero inde a quinquaginta fere annis, ex quo Erneſti eius *Memorabilia* edere coepit, in ſcholis pluribus Germaniae reuixerunt linguae Graecae ſtudia, aut certe multo magis vigere coeperunt: isque libellus tot emtores habuit, vt intra paucos annos quinquies typis exprimeretur, aliique deinceps eundem ederent. Similiter in Britannia poſtquam Hutchinſonus *Cyri diſciplinam* edidit, id opus in illis terris vulgo ita placere coepit, non propter ornatum ab editore profectum, ſed propter ipſius auctoris munditiem reliquasque virtutes, vt minore apparatu ſepties repetitum emtores nanciſceretur et Graecarum litterarum ſtudia inter illos in dies magis florerent. Neque vero quisquam ſuſpicetur, hoc de nihilo excogitatum eſſe, quod ſcriptorem, in quo ornando elaboramus, quaſi clientem noſtrum, deſerere nolimus. Nam vere hoc confirmare poſſum, cum ſaepius ſcriptores mecum percenſerem, vt inde deligerem ſatis aptum vſibus adoleſcentum, qui Graecis litteris leuiter tincti integrum aliquod opuſculum non prorſus leue perlegere vellent, me cum dolore quodam, illuc, vnde profectus eram, rediiſſe, vt ſtatuerem, nullum reperiri, qui commode Xenophontis loco poni et ad commutandam lectionem eum excipere poſſet. Atque etiam ſi Anthologias, Eclogas, Chreſtomathias et ſimiles libros examinamus, quam pauca in plerisque inſunt vel vtilia cognitu, vel facilia ſatis, vel etiam iucunda! In Geſneri quidem Chreſtomathia Graeca nihil fere reperitur, quod pro-

bare

bare poſſis, praeter loca e Xenophonte depromta: quae niſi inter reliqua enituiſſent, Geſneri nomen quamuis magnum, nunquam effeciſſet, vt hic liber tam ſaepe typis repeteretur. Quodſi particulae quaedam Xenophontis in hoc Geſneri libello mediocriter explicatae, et libri ſinguli non multo melius ornati tot hominum ſtudia excitarunt, quanto plures ſperare licet ad legendum hunc ſcriptorem inuitatum iri, ſi non modo ad intelligenda eius verba plus ſubſidii habuerint, ſed etiam ad venuſtatem et vſum eius omnem cognoſcendum fuerint deducti? Graecarum igitur litterarum ſtudia, quae iam oblanguiſſe videntur, denuo vigebunt, ſi adoleſcentes noſtri ad eas diſcendas plana et iucunda via ingredi, hoc eſt, Xenophonte recte illuſtrato vti potuerint. Sed haec hactenus.

(40) Secundo loco ponimus eam vtilitatem, quod lector ad genus ſubtile orationem ſuam temperare conſueſcit. Sordet hodie plurimis hoc genus dicendi, atque etiam res ex intima philoſophia depromtas mirum in modum ornatas exhibent. In horum quibusdam ad faſtidium illud accedit fortaſſe alia cauſſa; quod res leues ornatu quodam grauitatis ſpeciem induunt, falſae figurarum ac troporum latebris inuolutae facilius deliteſcunt. Sed vtcunque ſe res habet, vbi vera doctrina et philoſophia floret, et iuſtus pulchri ſenſus ſcriptorum ſtudia moderatur, orationi ſubtili honos ſuus conſtat, adeo vt nos aut nondum ſatis exculti aut rurſus in prauum delapſi videamur. Quorum alterutrum ne quis ſerio defendat, ſtudioſe hoc agendum eſt, vt tenuem illam orationem ſeruemus, ob eamque rem ſtudioſos in primis adoleſcentes eius imbuamus ſenſu, quam ad rem magnum adiumentum afferre poteſt ſtudioſa Xenophontis lectio.

Adiungam huic loco quaedam de laude vrbanitatis et leporis, qua omnino Attici florent, et quam in Xenophonte omnium minime deſideres. Haec *vrbanitas*,

banitas, hic *lepos* cum latiſſime pateat et per omnem regnet vitam, tamen maxime ſe exſerit in ſermone, vt et ſerio et ioco dicta decorem et gratiam habeant ab acumine, concinnitate, ironia, emphaſi, ambiguitate vel alio ex fonte arceſſendam. In iocis quantam iucunditatem habeat celeritas reſpondendi, ſentiunt omnes. Neque hac in parte Xenophon reperitur iners. Cf. ad vitam eius §. 12. Sed quoniam hoc loco omnia referenda ſunt ad vſum ex eius libris capiendum, nemo certe leuem aut nugatoriam habebit ſeueram illam vrbanitatis partem, quae in congreſſibus hominum et in conuictu commode et humaniter cum aliis agendo delectat, iurgiis occurrit, et homines hominibus adiungit arctiusque deuincit, et quae, vt facile intelligitur, ſcribendi etiam genus afficit ac mollitudine quadam temperat. Huius igitur humanitatis Xenophontem putamus eſſe magiſtrum non contemnendum. In primis libri dialogo ſcripti huc faciunt et *diſciplina Cyri*. Nam in hac Cyrus et eius plerique amici ita elegantes et vrbanos ſe praebent, vt Athenis natos et inſtitutos eſſe credas. Atque etiam, vbi iuſta ira commotus eſt Cyrus, humanitatem quandam prae ſe fert, vt VIII, 3, 22. Nihil autem elegantius illo Artabazi ὀρχεῖσθαι δεῖ τὸ Περσικόν VIII, 4, 12. cuius nos vim ſatis declarauimus. Multa huius generis librariorum et editorum feſtinatione obliterata ſunt. Huc equidem refero V, 2, 36. vbi pro ὑμᾶς ſcripſerunt ἡμᾶς, et VIII, 4, 16, vbi δῶ et δώσω pro δῷς. Alia non intellexerunt, vt VIII, 4, 27. E reliquis libris quae notaui exempla, proferre nolo: ad intelligendum iam haec nimis multa video me attuliſſe.

(41) Methodum docendi, qualem nobis exhibet Xenophonteus Socrates, quamque ſupra §. 10 ſſ. breuiter expoſui, cordatiores et hodie probant. Maxime tamen, niſi omnia me fallunt, ex eo tempore a noſtris laudari et commendari coepit, ex quo Xenophon-

tis

tis lectio in scholas reuocata est. Vnde, vt paullo ante fecimus, commode argumentari possumus, ex eo, quod factum est, idem fieri posse, studioseque tractandis eius libris hanc rationem eiusque vtilitatem magis magisque cognitum iri. (42) Denique quod ad res ipsas attinet, quas ex hoc scriptore cognoscere possumus, inferior quidem multis antiquis scriptoribus videri potest: illos maxime dico, qui multiplicis doctrinae laude florent, Aristotelem, Plutarchum, Plinium: sed tamen ad vitam honeste et prudenter instituendam, quae est ars omni reliqua doctrina excellentior, non facile inter illos veteres meliorem magistrum reperias, ita vt etiam hodie in eo genere aliquantum prodesse possit. In politicis autem et in re militari non dubitamus eum ponere summum doctorem, a quo et hodie, licet mutatis tot rebus, quam plurimum disci possit. Hac de re separatim postea dicemus. Historici autem libri non minus hoc loco nobis commemorandi videntur, etsi indoctis non facile vtilitatem vel etiam voluptatem aliquam afferunt. (Cf. §. 36.) In primis eius historia Graeca virorum doctorum reprehensionem incurrit: quae ne nobis quidem vsque eo placet, vt eam copiose defendere velimus. Sed tamen nos excusabunt lectores aequi, si paucis ostenderimus, eam non esse prorsus damnandam, sed moderatius vituperandam.

Tot ciuitates sunt, quarum res enarrantur, vt lectores plurimos pigeat earum nomina memoriae mandare, aut certe situs plane ob oculos ponere. Deinde eaedem sunt non adeo magnae, ita vt earum res minus habeantur notabiles, nobis praesertim, qui temporibus insequentibus vsque ad nostram aetatem exstitisse sciamus imperia tam magna et illustria. Accedit, quod ex earum religionibus, legibus, institutis plane nihil ad nostras ciuitates manauit. Ipsa porro longinquitas locorum facit, vt earum res minus

nus ad nos pertinere credamus. Denique nihil fere ab illis tum geſtum eſt, quod per ſe cognitu ſit iucundum et phantaſiam venuſtate imaginum paſcat. Contra ea cognoſcimus calumnias, defectiones, foedera reſciſſa, bella, vaſtationes et, quae has comitari ſolent, mala varia. Atqui harum rerum culpa prorſus nulla reſidet in ſcriptore; et ſcite de talibus iudicat Lucianus *(de h. conſcr.* 38): Ἡγήσεται … ὑπ᾽ οὐδενὸς τῶν νοῦν ἐχόντων αὐτὸς ἕξειν τὴν αἰτίαν, ἢν τὰ δυστυχῶς ἢ ἀνοήτως γεγενημένα ὡς ἐπράχθη διηγῆται. … Οὐ γὰρ ποιητὴς αὐτῶν, ἀλλὰ μηνυτὴς ἦν. … Ἀλλ᾽, οἶμαι, τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ Κλωθὼ ἂν ἔτι ἀνακλώσειεν, οὐδ᾽ Ἄτροπος μετατρέψειε. Quamobrem ſi quis ſuperato illarum rerum taedio tota mente in iſta tempora et loca redire, et omnes euentus, quaſi ad ſe maxime pertinentes ſumma diligentia cognoſcere velit, non dubium eſt, quin omnes inde, quos in vniuerſum hiſtoria praebet, fructus capere poſſit. Nam omnino callebat Xenophon hiſtoriae vſum: neque rerum magnitudinem nobilitate ciuitatum et populorum metiebatur, ſed cognitionis vtilitate. Memorabilis hanc in rem locus eſt *Hiſt. Gr.* VIII, 2, 1. vbi Ἀλλὰ γὰρ, inquit, τῶν μὲν μεγάλων πόλεων, εἴ τι καλὸν ἔπραξαν, ἅπαντες οἱ συγγραφεῖς μέμνηνται· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται, ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν. Itaque exemplum fidei et conſtantiae commendat, idque eo illuſtrius, quo plures eo tempore et potentiores ciuitates foederis fidem violauerant, et quo plus periculi ex amicitia ſancte conſeruata oſtendebatur. Ex illo loco coniecturam quis capiat de iudicio eius in omni rerum delectu. De voluntate certe ſua VIIJ, 8, 1. ita teſtatur: Τῶν πράξεων τὰς μὲν ἀξιομνημονεύτους γράψω, τὰς δὲ μὴ ἀξίας λόγου παρήσω. Quod illo loco ſe facturum dicit, id aliis etiam locis,

nihil

nihil tale praefatus, facit, ſi quidem ex rerum ipſarum natura iudicare licet.

(43) Denique vt illa mittam, quae ad veterum mores, inſtituta, leges, ad vitam eorum publicam et priuatam pertinent, quae non minus ex eo, quam ex aliis cognoſcere poſſumus, philoſophiam illam popularem rurſus excitabo, qua non modo de hominibus ſuae aetatis, (quamquam de his praecipue) verum etiam de omni poſteritate bene meruiſſe cenſendus eſt. Etenim quam diu illa in promtu poſita principia officiorum aliquid valebunt ad virtutem popularem (paene dixerim humanam) hominibus commendandam, nunquam diſputationes Socraticae inutiles reperientur. Nam, vt comparatione vtar e propinquo petita, quod multis accidit, qui librum tenui oratione ſcriptum legunt, vt eodem modo ſe facile ſcribere poſſe confidant, et nulla ſe inſtitutione ad hanc rem egere credant, id multis accidit Socraticae rationis et doctrinae ignaris, vt eodem illo modo et ſe, et quemuis alium, de officiis hominum philoſophari poſſe ſibi perſuadeant, neque opus eſſe Socrate aut Xenophonte aliquo doctore. Vtrisque res videtur facilis exiſtimantibus, ſed nihil eſt experientibus minus.

Haec habui, quae de Xenophonte, vt ſcriptore, et eius vſu diſputarem: quae ſi non omnia probabuntur erudito lectori, ſaltem erudiendo, cui maxime ſcripſimus, erunt vtiliora, quam nuda teſtimonia veterum: et iis magno ſubſidio eſſe poterunt, qui eadem ratione, qua nos, vſi, ſtudioſa et diligenti ipſius auctoris lectione, virtutes eius et vtilitates recte aeſtimare et plenius exponere ſtudebunt.

DISPV-

DISPVTATIO

DE NATVRA ET VSV DISCIPLINAE CYRI

Qui de hoc Xenophontis libro in vniuerſum diſputant, in eo prope vno ſe exercent, vt eius fidem hiſtoricam aut defendant aut impugnent. Sed iidem ſic in diuerſa abeunt, vt parum abſit, quin eodem redeant. Nam Hutchinſonus v. g. qui plurimum laborat, vt verum Cyrum auctor nobis videatur dediſſe, (Disſert. I. p. XXXVII.) ea haud dubie ab eius ingenio profecta ſtatuit, „quae Cyro puero interceſſere cum auo Aſtyage, cum Cambyſe patre, cum Armenio rege, eiusque filio Tigrane, cum Gobrya, Gadata, Croeſo praefectisque exercitus, et quae ſunt huius generis alia.“ Zeunius autem (in praef.) facile concedit, „multa veri veſtigia relicta eſſe in Cyropaedia et facta inſtitutaque ex hiſtoria eſſe ſumta.“ Quod ſi tamen aliquantum intereſt, vt intereſſe debet, inter vtriusque et ſimiles disſidentium ſententias, non multum certe intereſt, vtrum haec an illa ſit vera, ſi prorſus exploratum eſt auctoris conſilium. Qua de re poſtea dicemus. Nunc cum inſtituti noſtri ratio nobis non remittat illam quaeſtionem, age videamus, quibus argumentis pro veritate narrationis pugnent, et quae rurſus illis vel poſſint vel ſoleant opponi. Quod vbi fecerimus, conſilium auctoris perſequemur, et inde de vſu libri dicemus. Res eſt taedio plena, cum paucis expediri non poſſit, neque tamen admodum magnam habeat vtilitatem. Neceſſitate coacti iſtuc accedimus, rogamusque lectores, vt aut has aliquot paginas tranſeant, aut

tritam illam quaeſtionem indulgenti erga nos animo nobiscum recognoſcant. In eo certe elaborabimus, vt cum aliqua voluptate videant, diligentius nos egiſſe, et praeter decantata illa veterum loca paſſim aliquid noui attuliſſe, quod probari poſſit.

Hutchinſoni rationes, ipſius verbis expreſſae (Disſert. I. p. XXVII.), ſunt hae: „α) Quia nomen eius ingenii, iudicii [1] et fidei laudibus celebre erat: proinde, conſentaneum eſt, noluiſſe eum opus adgredi, quod famam collectam adeo non aucturum erat, vt etiam imminueret. β) Non modo Cyri hiſtoriam ex fide ſe ſcripturum profitetur; ſed occaſionem etiam commodiſſimam, dum in aula Cyri minoris eſt verſatus, ſiluam rerum, quae ad Cyrum ſpectabant, veriſimillimarum comparandi nactus eſt. Iſtiusmodi autem occaſionem eum et arripere et arreptam ad Cyripaediae materiam colligendam adhibere voluiſſe, ingenium eius ad praeclara quaeque tum diſcenda tum ſcriptis mandanda facinora atque inſtituta propenſum, vt credamus, ſuadet. γ) Ipſe Cyri Perſarumque geſta et inſtituta plenius atque ſeorſim exponit; caeteri Hiſtorici ſtrictim et in transitu attingunt. δ) Eius narratio ſimplex eſt, inaffectata, vero atque rationi congruens: cum contra caeterorum narrationes [2] ſcateant inſomniis, prodigiis, paradoxis, iis quae ſe mutuo euertunt; addita fabuloſa etiam (vt ita dicam) [3] θηριοτροφία. Hi quippe Cyrum in obſcuro loco educatum, in luce atque oculis Medorum Perſarumque magnum

„1 Diodor. Sic. *Biblioth.* L. I. p. 34 ait: *Ξενοφῶν καὶ Θουκυδίδης ἐπαινούμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν ἱστοριῶν* etc. 2 Vide dicta de Herodot. et Cteſ. narrat.“ (Vtriusque narrationes paullo ante refert, et in ſuam rem ſuoque modo diiudicat.) „3 Iuſtin. L. I. c. 4. Confer Liu. L. I. cap. 4. de Romuli et Remi expoſitione eorumque nutrice lupa; et Dionyſ. Halicarn. Antiq.

magnum repente exstitisse tradunt. 4 Praedicant etiam mite eius ingenium atque virtutes, quibus Persis, quotquot fuerunt, antecellebat omnibus: eundemque, mira quadam sententiae inconstantia, ita se erga auum, erga Croesum aliosque gerentem inducunt, vt impius, crudelis, vecors esse videatur. ε) Denique narratio Xenophontis non tantum sensui mortalium communi consentanea est, sed grauissimam etiam ab insigni commodoque cum Historia Sacra consensu confirmationem accipit."

(2) Ad horum pleraque perquam facilis est responsio. Nam ingenii et iudicii laudem magis etiam tueri poterat Xenophon Cyro ad veritatem effingendo, quam ad naturam exprimendo. De fide autem sua nihil ea re detracturus erat, siue aperte diceret, se commentitiam et fictis rebus exornatam dare Cyri historiam siue rerum ipsarum natura et descriptione illud declararet. Posterius eius eleganti iudicio magis placuit et placere debuit. Vrget quidem Hutchinsonus illud I, 1, extr. Ὅσα οὖν ... διηγήσασθαι et VIII, 5, 28 (Κῦρος) γαμεῖ. ... παῖς. Sed talia commode in ficta fabula dici possunt, et vero debent, vt eo verosimilior fiat narratio. Eleganter et acute hanc in rem Meiners (*Gesch. des Urspr. der Wissensch.* T. II. p. 634) „*Selbst die Meinung so vieler großen Gelehrten*, *daß die Xenophontische Erzählung der Thaten des Kyrus wahre Geschichte sey*, *beweist*, *wie wahrscheinlich und täuschend Xenophon erdichtet.*" Ad laudem fidei seruandam, vt modo dixi, sufficit, narratio ipsa certas vt habeat rerum fictarum notas, quarum notarum delectus eo plus habet laudis, quo minus vulgo deprehenduntur.

Antiq. Rom. L. I. p. 63 edit. Oxon. nec non quae Diodorus ex Ctesia tradit de columbis Semiramidis nutricibus. 4 Herodot. L. III. c. 89 et 160."

Quod Hutchinſonus ſecundum affert, Xenophonti commodiſſimam occaſionem datam fuiſſe, dum in aula Cyri verſaretur, comparandi ſiluam rerum, quae ad Cyrum maiorem ſpectarent, veriſimillimarum atque etiam veriſſimarum, dubitatione caret, ſed ad rem nihil facit. Quod autem adiungit, eum res illas ad conſcribendam Cyri diſciplinam adhibere voluiſſe, ex ingenio ipſius Xenophontis probabile facit, „quod ad praecl. ... propenſum.“ Hoc acute colligit, et eſt valde ſpecioſum. Nobis tamen non minus probabiliter (§. 15) ex eius ingenio argumentari videmur, eum fuiſſe propenſum ad artes ſuas omnes poſteris tradendas; grauiſſimam autem artem, imperii prudenter et moderate gerendi, cum nullo alio libro expoſuiſſet, his de Cyri diſciplina libris eam videri expoſitam. Tertium Hutchinſoni argumentum quo valeat, non ſatis intelligo. Neque enim minus copioſa licet fingere, quam ex vero narrare. Certe quocunque modo illud interpretari volueris, roboris non multum habere videbitur. Quae ſequuntur „eius narr. ... tradunt,“ vereor, ne magis reliquorum, qui narrant de Cyro, quam Xenophontis fidem defendant. Nam illi videntur vel famam vel antiquiſſimorum ſcriptorum fabulas ſecuti eſſe, quae non prorſus abiiciendae ſunt, ſed ad eliciendum verum adhibendae. Bene autem hae conueniunt populorum orientis ingenio ad opinionum portenta propenſo, vt etiamſi inſomnia, prodigia, paradoxa hiſtoriae veritatem euertunt (nam ſe ipſa euertere non dixerim), tamen ad ſtabiliendam eandem in ſubſidium adhiberi debeant. Mihi contra ortus Cyri, eius educatio et omnis vita nimis humana et naturae conſentanea videtur: elegantia autem eiusdem et vrbanitas, ne Hutchinſonus quidem dubitarit, quin Xenophonti debeatur. Neque vero repugnat mite ingenium factorum quorundam

rundam crudelitati. Erat Dario mite ingenium: et tamen hoſpitem et ſupplicem abstrahi iuſſit ad capitale ſupplicium. Curt. III, 2, 7. Huius naturam fortuna et confidentia corruperat, Cyri naturam, ſi quando crudeliter egit, immoderata imperii cupiditas. Quanta crudelitate Auguſtus initia imperii ſui foedauit, cum infinitam multitudinem hominum innocentiſſimorum in proſcriptione illa trucidari iuberet! et tamen per reliquam vitam, vt erat natura iuſtus et mitis, moderate imperium geſſit. Denique facile cum aliis concedimus, multa narrari a Xenophonte prorſus vera, ſiue coniectura aut caſu illa ſit aſſecutus, ſiue quibusdam ex fontibus hauſerit. Nam nonnulla, quae fama fortaſſe de tanto viro ferebantur, potuit cognoſcere: alia e tabulariis Perſarum notis excepta ſecum auferre, alia ex carminibus (I, 2, 1) colligere potuit. Sed haec, quae habebat vera et certa, vti poetae heroici et tragici ſolent, partim, vt conſilio ſuo apta, probauit, partim permutauit cum rebus fictis, vt illum prorſus exprimeret imperatorem et regem, quem animo conceperat, ex omni parte perfectum. Illa igitur de Cyro vere narrata et ab eo vere geſta Hutchinſonus cum oraculis librorum diuinorum copioſe et diligenter comparat: neque tamen ea re efficit, quod vult, vt modo paucis verbis oſtendimus.

(3) Subiiciemus iam argumenta in ſententiam contrariam. Ac primo quidem auctoritates veterum cognoſcemus. Platonem Legg. III (Vol. VIII. p. 142) hiſtoriam Cyri a Xenophonte traditam dubiam facere velle, equidem non video. Tantum patet, Cyrum tot laudibus a Xenophonte ornatum grauiter ob neglectam filiorum educationem reprehendi. Μαντεύομαι, inquit, ... περί γε Κύρου τὰ μὲν ἄλλ᾽ αὐτὸν στρατηγόν τε ἀγαθὸν εἶναι καὶ φιλόπολιν, παιδείας δὲ ὀρθῆς οὐχ ἧφθαι τοπαράπαν· οἰκονομίᾳ τε οὐδὲν τὸν νοῦν προσεσχηκέναι ...

Ἔοικεν ἐκ νέου στρατεύεσθαι διὰ βίου, ταῖς γυναιξὶ παραδοὺς τοὺς παῖδας τρέφειν. Αἳ δὲ, ὡς εὐδαίμονας αὐτοὺς ἐκ τῶν παίδων εὐθὺς καὶ μακαρίους γεγονότας, καὶ ἐπιδεεῖς ὄντας τούτων οὐδενὸς, ἔτρεφον· κωλύουσαι δὲ ὡς οὖσιν ἱκανῶς εὐδαίμοσι, μηδὲ αὐτοῖς ἐναντιοῦσθαι μηδένα εἰς μηδὲν, ἐπαινεῖν τε ἀναγκάζουσαι πάντας τὸ λεγόμενον ἢ πραττόμενον ὑπ' αὐτῶν, ἔθρεψαν τοιούτους τινάς. ... Ὁ δὲ πατὴρ γε αὐτοῖς αὖ ποίμνια μὲν καὶ πρόβατα καὶ ἀγέλας ἀνδρῶν τε καὶ ἄλλων πολλῶν πολλὰς ἐκτᾶτο· αὐτοὺς δὲ, οἷς ταῦτα παραδώσειν ἔμελλεν, ἠγνόει τὴν πατρῴαν οὐ παιδευομένους τέχνην. Sed Xenophon, qui Cyrum ciuium ſuorum patrem vocitatum eſſe narrat (VIII, 1, 44.), eum nusquam, ſi ab oratione VIII, 7, 6 ſſ. diſceſſeris, bonum filiorum ſuorum patrem facit, et de horum educatione nullum verbum habet. Quamobrem etſi concedas, Platonem quaedam, vt de παιδείᾳ ipſa (qua vel maxime formari decebat Cyri filios, non modo proceres), et de ἀγέλαις ἀνδρῶν (quae ad I, 1, 2, et totum exordium venuſte quis credat accommodata eſſe), in Xenophontem dixiſſe, tamen fidem eius non tangit, neque totam Cyri diſciplinam πλάσμα, quod dicit Diogenes, aut nominat aut nominari poſſe ſignificat. Non animaduertit hic, παιδείαν in loco illo Platonis actiuam vim habere, cum a Xenophonte Κύρου παιδεία paſſiue dicta ſit. Idem accidit Athenaeo XI, 15. vbi de ſimultate, quam inter ſe exercebant, loquitur. Dicit enim: Περὶ τοῦ Κύρου ὁ μὲν λέγει, ὡς ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐπεπαίδευτο πάντα τὰ πάτρια· ὁ δὲ Πλάτων, ὥσπερ ἐναντιούμενος, ἐν τρίτῳ Νόμων φησί· „Μαντεύομαι δὲ περὶ K. ... γυναιξὶ τρέφειν.“ Quamobrem non e verbo μαντεύομαι Hutchinſonus (p. XV.) pendere debebat, (quod per ironiam Atticam vim habet τοῦ τεκμαίρεσθαι, *certis indiciis e*

re ipſa colligere) ſed diligentius perpendere totum Platonis locum, qui ad quaeſtionem propoſitam fere nihil pertinet, et verbis στρατηγὸν ... φιλόπολιν fidem Xenophontis magis adiuuat, quam imminuit.

(4) Magis huc pertinet locus Ciceronis in ep. ad Q. Fr. L. I, ep. 1. §. 8. „*Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoriae fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii.*“ Et tamen liquido affirmare non auſim, his verbis fictam ſtatui de Cyro narrationem. Poteſt enim *hiſtoriae fides* dicta eſſe per periphraſin pro *hiſtoria*, vt prius membrum melius haberet ad poſterius, maximeque *hiſtoria* ad *effigiem imperii;* vt ſenſus ſit: „Cyrus non ideo ſcriptus eſt, vt hiſtoriam eius inde cognoſceremus, ſed rationem imperii iuſte gerendi.“ Ac neſcio, an Hutchinſonus hoc modo locum interpretatus ſit. Hoc quidem recte ſtatuit, Ciceronis verba aduerſus cauſſam ſuam non multum valere.

(5) Sed longe clariſſimus eſt locus Auſonii in *Grat. act.* (p. 7[illegible]8): „*Vellem, ſi rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in aeuum noſtrum venires, tu, qui ad Cyri virtutes exſequendas votum potius, quam hiſtoriam commodaſti; cum diceres, non qualis eſſet, ſed qualis eſſe deberet. Si nunc in tempora iſta procederes, in noſtro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, ſed optabas.* Gellii autem iudicium XIV, 3. rurſus nititur loco Platonis male intellecto. (6) Reliqua ſunt Dionyſii et Hermogenis iudicia, quorum ille Κύρου παιδείαν vocat εἰκόνα βασιλέως ἀγαθοῦ καὶ εὐδαίμονος, et conſilium certe non hiſtorici ſed philoſophi tribuit auctori; hic nonnulla iucunde ficta eſſe agnoſcit, et praeter alia dicit: τὸ μέν τοι περὶ τὸν Ἀβραδάτην καὶ τὴν Πάνθειαν πᾶν ἦθός τε καὶ πάθος πολλὰς ἔσχε τὰς ἡδονὰς μυθικῶς πλασθέν. Sed hae veterum ſen-

ſententiae etſi non ſunt contemnendae, quia plures habebant rerum antiquarum auctores, tamen cum partim ſint ambiguae, partim ita pronuntiatae, vt rationes tamen deſideres, ipſa operis Xenophontei conſideratio aliam etiam iudicandi materiam ſuppeditare debet, e qua ſi non certo at maxime probabiliter ſtatuere in alterutram partem poſſimus.

(7) Nos ſcilicet, vt iam ſatis clare profeſſi ſumus, eorum probamus rationem, qui Cyri diſciplinam inter fabulas referant, e quibus commemorandi ſunt homines magni nominis, *Lud. Viues L. V. de tradendis diſciplinis*, et *Voſſius de hiſtoricis Graecis*; maxime tamen illi, qui in quaeſtionibus hiſtoricis exercitati ſubacto iudicio vti debuerunt, *Ioſ. Scaliger in Prolegg. de Emend. temporum*, *Petauius in rationario tempp. Caluiſius in Iſagoge Chronol. Prideaux in the old and new Teſtament connected*, etc. His praeter alios, qui noſtra aetate de Cyro Xenophonteo iudicarunt, adiungere poſſumus *Zeunium*, qui in notis paſſim quaedam protulit, quibus in ſententia noſtra confirmaremur, et quae ad exornandam hanc diſputationem ab eo mutuari poſſemus. Nam *Fraguierius*. *Freretus*, *Condillacius* et alii e Franco-Gallis, quorum auctoritates ſuppeditat *Fortia* in *Vie de X.* verboſius, quam grauius, pro ſententia ſua pugnant, vt et illi, quos *F.* contra disputantes inducit. Tantum *Arnaldi* quaedam verba ex ephemeridibus, quas *Journal étranger* inſcribebant, excerpta huc transferam. „*Quelque peine que ſe ſoit donné Thomas Hutchinſon pour aſſigner à cet ouvrage le plus haut degré d' authenticité hiſtorique qu'on puiſſe lui ſuppoſer, on ne ſauroit ſe diſſimuler que c'eſt moins une hiſtoire qu'un traité politique, dans lequel l'auteur a eu en vue d'expoſer les moyens les plus propres à former des citoyens juſtes et courageux, d'enſeigner l'art de créer une armée et de met-*

mettre en action un général également ſage et profond dans l'art de la guerre. Si c'étoit une hiſtoire, on y verroit mille defauts que les autres ouvrages de Xénophon ne permettent pas d'imputer à ce philoſophe: en effet, à quoi pourroient ſervir les converſations peu intéreſſantes qu'on y trouve, les details minutieux où entre l'hiſtorien, et dont on ne peut ſuppoſer qu'il ait été jamais inſtruit, les aſſertions qu'il hazarde ſur les vues et ſur les intentions de Cyrus, ſinon à déparer une hiſtoire où tout devoit être grand et digne du héros de l'Aſie." Horum extrema: *en effet, à quoi p.* etc. ſatis commode dicuntur: ſed et haec et reliqua cuiusmodi ſint, lector per ſe iudicet: magis teſtimonii et auctoritatis cauſſa, quam propter argumenta hunc locum adſcripſimus.

(8) Sed cum nec veterum nec recentiorum auctoritate res confici poſſit, iam accuratius eam perſequemur et ſententiam noſtram ductis ex ipſa narratione argumentis confirmabimus. Primum auctor mores et inſtituta Graecorum tribuit Perſis, quos minime credibile eſt, tantam ſimilitudinem cum illis habuiſſe. Huius generis ſunt ternae libationes in conuiuiis factae II, 3, 1; et exercitus profectio nocturna V, 3, 52, cum ex more et religione Perſarum orto demum ſole caſtra mouenda eſſent, niſi forte neceſſitas aliud ſuaderet: nam illo deo duce vtebantur itineris. Curt. III, 3. Herodot. VII, 54 vbi honores Soli orto ſub profectionem a Xerxe habiti copioſe deſcribuntur. Quare cum de illo itinere nihil moneatur ab auctore, ad excuſandam v. g. neceſſitatem, facile intelligimus, eum non de Perſico exercitu cogitaſſe, ſed de Graeco aut alio quocunque. (9) Verum hoc vel maxime narrationem ſuſpectam facit, quod Lacedaemoniorum mores et omne quaſi ingenium Lacedaemoniorum in Perſas

transtulit. Hoc quidem iam Camerarius obſeruauit, vt Zeunius ad I, 2, 2 docet, diſciplina Perſarum auctorem videri voluiſſe exprimere formam ciuitatis Laconicae. Sed clarior res fiet ex iis, quae iam exponemus. Lacedaemoniorum acies duces in fronte habebat, ſui quemque ordinis primum *(de rep. Lac.* XI, 5.): eandem frontem ducibus *πρωτοστάταις* ornatam praebebat Perſarum acies III, 3, 57. Lacedaemonii proelium inibant coronati *(de rep. Lac.* XIII, 8): idem Cyrus ſuos facere iubet III, 3, 40 et 42. Lacedaemonii tunicis puniceis in bello induti erant *(de rep. Lac.* XI, 3.): iisdem Perſas indutos fuiſſe legimus VI, 4, 1. Apud Lacedaemonios poteſtas regum arctis limitibus erat circumſcripta; ſed tamen ius ſummum ſacrorum obtinebant *(de rep. Lac.* XIII, 11.): apud Perſas item rex nomine magis erat, quam re (vid. §. 17.); de rebus tamen diuinis conſulebatur IV, 5, 17. Cf. et VIII, 7, 1. et de rep. Lac. XV, 2. Lacedaemonii conuiuia ſua iocis liberalibus condiebant (de rep. Lac. V, 6. Plutarch. Lycurg. 12): idem Perſis tribuit Xenophon II, 2, 1 ff. V, 2, 18. Cf. VIII, 4, 9 ff. Lacedaemoniis Lycurgus hoc genus grauitatis et modeſtiae commendarat, vt in via non huc et illuc, ob leues ſtrepitus aut ſpectacula vulgo admirabilia, oculos conuerterent, ſed taciti et ſine animi motu viam proſpectarent (de rep. Lac. III, 5.): eandem laudem impertit auctor Perſis VIII, 3, 28. Lacedaemoniorum erat, ſenioribus honorem habere (de rep. Lac. IX, 15): en tibi et Perſas ſenioribus aſſurgentes ac decedentes VIII, 7, 10. Si quis vel haec ſola comparare voluerit, non poterit non ſententiam noſtram probare. Nam vt quaedam vtrisque fuerint communia, tamen valde fit probabile, Xenophontem, vt magnum diſciplinae Laconicae admiratorem, Perſarum moribus et inſtitutis, quibus

facta

ſacta Cyri multa nituntur, non pauca, quae ipſe probaret, affinxiſſe.

(10) Porro et hoc recte contra fidem diſciplinae Cyri afferunt, quod auctor, in caeteris tam diligens, fere nulla regum orientis poſuit nomina propria, ſed a regionibus, quibus praefuiſſe dicit, nominat Ἀσσύριον, Ἀρμένιον, Ἰνδῶν βασιλέα etc. Atqui hoc non facit in *hiſtoria Graeca* et in *expeditione Cyri*, ſed vtrobique reges et duces nobiliores propriis appellat nominibus, vt hac ipſa re ſignificare voluiſſe videatur, ſe non veram Cyri narrare hiſtoriam. Opponit hoc ſibi ipſe Hutchinſonus Disſ. I. p. XXXVI: ſed ita diluit, vt concedat, quod auctoris laudi fere plus deroget: „Hinc quidem," inquit, „effeceris, hiſtoriam eſſe minus perfectam, non vero hiſtoricum eſſe infidum," etc. Opus vere hiſtoricum nulla re plus auctoritati ſuae derogat, quam ſi nulla exhibet perſonarum nomina. Nam tempora et loca, quae et ipſa negligentius ab auctore indicantur, (vrbium nomina perpauca occurrunt, et nulla regio accurate lectori ob oculos ponitur) fortaſſe minus deſideres. Sed etiam horum omiſſio ſignificat, non hiſtorici fidem, ſed philoſophi prudentiam in hoc opere eſſe ſpectandam.

(11) Et, quoniam de nominibus hic egimus, *Cyaxaris* ſecundariae ſunt partes. Sed in hoc, vt nomen certum auctor dedit, ita incertam reliquit perſonam. Nam, vt Zeunius ad I, 5, 2 oſtendit, hiſtorici veteres, praeter Ioſephum, ignorant Cyaxarem, Aſtyagis filium. Ioſephus autem pro *Cyaxaris* nomine *Darium Medum* habet. Sub hoc Dario Hutchinſonus in Danielis vaticiniis Cyaxarem germanum latere contendit: ſed profecto nimium ſibi arrogat, qui incertiſſimam prophetae interpretationem, id eſt, coniecturam et opinionem ſuam auctoritati et conſenſui omnium hiſtoricorum opponat. Nobis qui-

quidem, cum opus Xenophonteum diligentius ad leges fabulae bene compositae exigeremus, si forte hac via tentata ad certam rationem perueniri posset, visus est Cyaxares, rex *imprudens*, *durus* et *ignauus* esse fictus, vt opponeretur Cyri, futuri regis, *prudentiae*, *humanitati* et *fortitudini*, atque vt huius virtutes illius vitiis redderentur illustriores. Cf. infra §. 30 ... 33.

(12) Quod dissentientes concedunt, quaedam esse ficta, id non pertinet ad rerum summas, quae ipsam historiam conficiunt, sed ad earundem exornationem. At etiam illas Xenophon ita rationibus suis accommodauit, vt passim quaedam affingeret. Praeter ea, quae alii hanc in rem dixerunt, et quae modo a nobis sunt dicta, haec commemorabimus. Aegyptios dicit in altero proelio aduersus Assyrios satis fortes se praestitisse (VIII, 1, 46): Lydos contra VI, 2, 19, et in tota illa narratione significat fuisse imbelles; cum tamen hi, pro rebus gestis, virtute insignes esse debuerint, illi contra semper habiti sint leues et ignaui. Cf. infra §. 27. Arabum gentem II, 1, 5 commemorat insigni bellatorum multitudine conspicuam. Sed cum Arabum opes in tam multos et minutos populos distractae fuerint, vix credibile est, sub vnius regis auspiciis tam magnam hominum copiam ad bellum congregari potuisse. Morem aut factum commemorat de manibus praesente rege insertis VIII, 3, 10. Sed cum Pheraulas, homo de plebe, totam illius pompae rationem descripserit, non est probabile, ab eo tale quid excogitatum fuisse, quod nemini facile in mentem venit, nisi qui saepius aut ipse insidiis petitus est, aut alios petitos esse cognouit. Sed in tam recenti imperio ne Cyrus quidem ipse, quem Xenophon in primis humanum finxit, cum *patris* etiam nomine appellaretur (VIII, 8, 1), et pietate suorum

ſuorum ſe tutum eſſe vellet, tam ſuſpicioſum morem introduceret. Poſterioris potius aetatis iſtud eſt inſtitutum, cum Perſae duriori iam premerentur imperio, et magis ſaeua, quam ſeuera diſciplina viderentur continendi.

(13) Extremum pro noſtra cauſa hoc afferemus, quod forma narrationis in *Cyri diſciplina* aliquantum diuerſa eſt ab ea, quam adhibuit in *expeditione Cyri* et in *hiſtoria Graecorum.* Hoc certe argumento Zeunius ſe in primis commoueri oſtendit. Et ſane narratio hic eſt amplior et plenior, ornata item, et inſtructa orationibus diligentius elaboratis et disputationibus non modo ad delectandum, ſed etiam ad docendum factis. Sed tamen hoc haberet plus firmitatis, ſi auctor in illis libris hiſtoricis ſuam tueretur formam. Nunc cum et compoſitionis cura maior ſit in *expeditione Cyri*, quam in *hiſtoria Graecorum*, et ea quidem ratione, vt haec ad illam fere ſe habeat, ſicut illa ad *Cyri diſciplinam*, quae maiori etiam ſtudio exornata et polita reperitur, non nimium huic argumento tribuendum eſſe agnoſco. Sed ea, quae ante propoſuimus, eiusmodi ſunt, vt, hoc et ſimilibus argumentis ſalua cauſa noſtra carere poſſimus.

(14) Abſolutum nobis eſt primum disputationis noſtrae caput. Sequitur alterum paullo grauius, vt de conſilio et fine huius operis dicamus. In hoc viri docti fere conſentiunt, etſi verbis discrepantes, re ipſa videntur aliquantum inter ſe disſentire. Nam ſiue dicas, Xenophontem proponere voluiſſe *effigiem prudentis et iuſti imperii*, ſiue *hominem* expreſſiſſe ſtatuas *omnibus virtutibus regiis ornatum*, ſiue *cum aliis politicam fabulam* hoc opus nomines, haec omnia eodem denique, prout latius interpreteris, redire poſſunt. Neque aliud conſilium coniectando aſſequantur, qui veram Cyri vitam hic eſſe expoſitam

tam contendunt, ſi modo vnum ac certum auctoris conſilium agnoſcere velint. Verum tot praecepta ciuilia et militaria, eaque tam copioſe explicata non incertum relinquunt, in quo inſit primarium operis conſilium. Sed illi a Cyro haec praecepta nata, nos ab his praeceptis Cyrum natum putamus: illi ad haec illuſtranda verum Cyrum exhiberi, nos ſub veri nomine fictum dari ſtatuimus. (15) Denique ne qua relinquamus ambiguum, quae noſtra ſit ſententia, ſtatuimus, oſtendere voluiſſe auctorem, *quibus belli et pacis artibus imperium acquiri et ſeruari poſſit.* Hoc iam e prooemio intelligimus. Cum enim dixiſſet, ſibi aliquando viſam eſſe rem omnium difficillimam imperare hominibus, ſubiicit, ſe cognitis Cyri rebus illam ſententiam mutaſſe, ac proinde diligenter indagare coepiſſe, quonam modo factum ſit, vt ille caeteris ciuitatum conditoribus tantum praeſtaret. Atque hoc modo lectores eodem ducit, vt cognoſcant, quomodo res inſtituenda ſit, vt homines imperanti parere neque nouas res moliri aut velint aut poſſint. Cf. inprimis VII, 5, 76 ſ. Probabilior fit ratio noſtra, ſi cogitamus, Xenophontem omnes reliquas artes ſuas peculiaribus libris expoſuiſſe, artes ſapienter et bello et pace imperandi nullo condidiſſe libro. Quid ergo? an artes venandi, equitandi, rei familiaris gerendae praeſtantiores iudicauit? aut illas publice bene merendi artes non habuit vſu ipſo cognitas? Quin imo non Cyri diſciplinam, ſed ciuitatis conſtituendae et conſeruandae, his ex libris cognoſcimus. Vnum addemus Gellii locum, quatenus huc pertinet XIV, 3. „*Id etiam eſſe non ſincerae atque amicae voluntatis indicium, crediderunt, quod Xenophon inclyto illi operi Platonis, quod de optimo ſtatu reipublicae ciuitatisque adminiſtrandae ſcriptum eſt, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierant, oppoſuit contra conſcripſitque diuerſum*

verſum regiae adminiſtrationis genus, *quod* παιδείας Κύρου *inſcriptum eſt*. Illi ergo, quorum auctoritatem Gellius commemorat, in his libris *regiae adminiſtrationis genus*, atque ita non aliud, quam nos, conſilium deprehenderunt.

(16) Expoſita nobis ſunt fere, quae de natura *diſciplinae Cyri* habebamus dicere: ſed eadem res deinde melius cognoſcetur: veniendum enim eſt ad vſum, quem inde licet ſperare. Cum in tali opere et materia et forma ſpectanda ſit, de vtraque, quantum facultas noſtra fert, breuiter dicemus. Res ipſa vero docet, e disputatione noſtra apparere debere, vtrum auctor conſilium ſuum aſſecutus ſit, nec ne. Quam ad rem, ſi eius aetate viueremus, Athenienſium opinionibus imbuti, etiam de aliis quibusdam rebus non magis a noſtro, quam ab ipſius conſilio alienis nobis dicendum eſſet, maximeque de *genere* Cyri et de eius *felicitate*. Ob hanc eius pietas erga deos eſſet praedicanda. Nam et felicitatem eius *laudandam* putauit: quo pertinet I, 1, 1. σοφοί τε καὶ εὐτυχεῖς, neque minus, vt opinor, θείως πως IV, 2, 1 (nam illud erat tempus, quo prima regni Perſici iaciebantur fundamenta: V. §. 22); et VIII, 7, 6 ſ. Genus Cyri nobis ita tangendum eſſet, vt oſtenderemus, recte et probabiliter ad deos referri. Sed haec nugatoria ſunt: quae tantum ea de cauſa protuli, vt ſignificarem, melius facturum fuiſſe auctorem, ſi omnia retuliſſet ad virtutem, neque in his ἐγκωμιαστῶν exempla ſecutus eſſet, qui omnibus laudum locis excuſſis ei, quem laudant, multum ſaepe laudis detrahunt. His ergo miſſis nos potiora, quae ad vſum conferri poſſint, conſiderabimus. Quoniam autem auctoris elegantiae et modeſtiae placuit, narratione inuoluere rerum grauiſſimarum praecepta, huius ſummam ſub adſpectum ponemus, et eius aperiemus artificium. Sic deinceps melius intelli-

telligentur, quae de materia ipſa ſumemus illuſtranda *).

(17) Cyrus, Cambyſis regis Perſarum filius, cum vſque ad 12 aetatis annum publica Perſarum diſciplina inſtitutus eſſet, ab auo, rege Medorum, videndi eius cupido, in Mediam eſt arceſſitus. Ibi cum 4 fere annos equitando, venando, aliisque exercitationibus conſumſiſſet, et tandem etiam imperatoriae artis dediſſet documentum, ad patrem, proſequentibus Medis, rediit. Omnium enim ſibi conciliauerat amorem, in primisque Artabazi, qui etiam eius adſpectu paſcebatur ita, vt aegre ab eo diſcederet. Poſt 12 fere annos dux Perſici exercitus Medis contra Aſſyrios auxilio profectus eſt, quo in itinere pater eum ad fines vſque Medorum comitatus de officiis imperatoris multa cum eo diſſeruit.

In his praeter alia obſeruandum cenſeo, quomodo cupiditas regni condendi in animo Cyri exſtiterit. Hic illud in promtu poſitum eſt, quod ei auctor generoſio-

*) Per ſe in diligenti huius operis analyſi et de materia et de forma dupliciter quaeri poteſt. Nam et in narratione vtrumque, id eſt, et facta et narrandi modus, ſpectatur: et, ſi finem et conſilium operis, quam *eſſentiam* dixeris, (ſ. „*den Geiſt*,") conſideraueris, id eſt diſciplinae ciuilis et militaris praecepta, in his rurſus materies ipſa et materiae tractandae ratio examinari poteſt. Sed nimis longum et putidum ſit, ſi ex hac quadripertita distributione ſubtiliter, vel potius μικρολόγως, omnia perſequi velimus. Sufficit nobis, vt vniuerſam narrationem formae loco habeamus, artis militaris et ciuilis praecepta pro materia, praeſertim cum haec in vniuerſa materia aeſtimanda, pro conſilio auctoris, primum et praecipuum locum obtineant. Ceterum nihil impedit, quo minus, vt nos quidem materiae et tractationis ſ. formae nomina hic vſurpauimus, hanc primum, quod nobis commodius viſum eſt, ac deinde illam conſideremus.

nerosiorem indolem et magnam φιλοτιμίαν tribuerat I, 2, 1. Quod vero cuipiam in mentem venire possit, nihil mirum esse, si regis filius regis honorem ipso haereditatis iure appetat, id quidem nihili est. Nam vt Xenophon Persarum ciuitatem informauit, rex plane, vt apud Lacedaemonios, nomen tantum regis, regiam potestatem fere nullam, habebat. Non diserte hoc auctor dicit, sed multis locis clare significat, in primis I, 3, 18. Sed hic equidem agnosco magnam Xenophontis et sollertiam et modestiam. Quod matrem timere finxit, id, intelligi vult, re ipsa accidisse. Cum enim puer per aliquot annos in Medis ad regis nutum intentos videret omnes, ea res magnam vim habere debuit in hominem, natura magnos spiritus gerentem. Fortasse et illud auctor iam ab initio spectauit, vt, venationibus ad Armeniorum fines institutis, horum principes mature necessitudine quadam Cyro iungeret. Vid. II, 4, 15. Ergo illa Cyri in Medis habitatio, quae leui de caussa videtur ficta, maximi est momenti et reliquam narrationem valde probabilem facit et naturae consentaneam. Non minus autem scite et ingeniose quam modeste auctor disputationem illam inter filium et matrem l. l. inducit. Simili modo varietatis tantum gratia, aut aliam leuem ob causam, Artabazi et eius ineptiarum mentio fieri videtur: excusat enim auctor leuitatem rei, aut eam certe agnoscere se ostendit verbis: Εἰ δὲ δεῖ ... ἐπιμνησθῆναι. I, 4, 27. Sed praeparat hac persona factum in primis notabile, de quo §. 21 f. dicemus. De interuallo 12 annorum, quo Cyrus in Persas redux legitimum tempus sub disciplina publica exegit, nihil prorsus auctor, nisi hoc ipsum, commemorat; prudenter id quidem, quantum sentio, et ex interioribus artis praeceptis. Nam indolem eius iam ante expresserat, et dicta et facta quaedam narraverat, quae, vt de puero, maiore cum voluptate legun-

tur, et ſatis per ſe oſtendunt, quantus vir futurus ſit puer tam egregius. Iam ſi alia quaedam de adoleſcente Cyro narraſſet, ea ſi non taedium attuliſſent lectori, ſaltem falſam opinionem de libri ſcopo excitaſſent, et auctorem prodidiſſent, qui delectu rerum neglecto curioſe magis, quam ad certum conſilium vitam Cyri exponere voluerit. Quin etiam Sectiones III et IV., vt ingenue profitear, quid ſentiam, iuſto diutius lectorem videntur oblectare. Denique in tota hac narrationis parte illud vnum prorſus diſplicet, quod auctor Cambyſi nihil laudis impertiuit. Hanc ſi vel pauciſſimis verbis abſoluiſſet (nam eius perſona ceterum non vtitur), nonnihil tamen ad laudem Cyri faceret. Certe rei militaris ſcientiam et vſum ei tribuere debebat. Sic maiore cum ſtudio legeremus longum illum (Sect. IX) cum Cyro ſermonem.

(18) Cyrus poſtquam e Cyaxare, Medorum rege audiuit, quanta hoſtium multitudo ad bellum cogeretur, perſuaſit ei, cum gentes illarum regionum fere omnes eminus pugnarent, vt omnibus Perſis arma, qualia Homotimi tantum haberent, fieri curaret, quibus hoſtem cominus aggreſſi facilius in fugam verterent. His celeriter confectis dum hoſtes exſpectabantur (nam Cyaxares, opinor, cunctandum eſſe decreuerat) Cyrus ſuos exercebat et praemiis afficiebat, omnique modo acuebat ad bellum. Luſtranti aliquando copias ſuas nuntius venit a Cyaxare, vt confeſtim reuerſus Indorum legatis ſe conſpiciendum praeberet. Cyrus ergo cum toto exercitu, quanta maxima celeritate potuit, contendit, acceſſitque ornatus non, vt Cyaxares voluerat, ſplendido veſtitu, ſed honeſto ſudore. Indis autem et ipſe reſpondit, et multo quidem vrbanius et prudentius, quam Cyaxares.

Haec narrationis pars nihil habet eximium aut eius modi, quod diligentius hic cognoſcendum videatur.

Omnia in commentariis, pro noſtro inſtituto, explicare potuimus. Tantum animadvertere licet, quomodo Cyrus non modo ſuorum animos ſed et exterorum, vt h. l. Indorum et deinceps aliarum gentium, ſibi deuinxerit, vt mirandum non ſit, multos ſponte ſe ipſius imperio ſubieciſſe. Id enim auctor vult intelligi.

(19) Iam cum ipſe muneribus distribuendis eo redactus eſſet, vt in exercitum ſumtus non ſuppeterent, Cyaxari autem moleſtus eſſe nollet, eius permiſſu Armenios, qui defecerant, nec opinos oppreſſit, et ad officium redire coëgit, ſed ita, vt eos amiciores Cyaxari, quam ante fuerant, redderet. Inde progreſſus Chaldaeos coëgit pacem inire cum Armeniis, et magno ipſorum gaudio Cyaxaris in vtrosque firmavit imperium. Vt in Medos rediit, perſuaſit Cyaxari, vt Aſſyrios in ipſorum regione aggrederetur. Itaque profecti tandem cum omnibus copiis non longe a caſtris hoſtium conſederunt. Ab hoc tempore, quamquam ſummum imperium Cyaxaris erat, tamen Cyri auctoritas, volente aut patiente Cyaxare, maximis in rebus valebat. Aſſyrii caſtra ſua vallo et foſſa muniuerant. Cum ergo a paucioribus ſine magno periculo irrumpi non poſſet, occulto loco Cyrus ſuos continuit, dum illi ad pugnam egrederentur. Quorum cum dimidia fere pars ad aciem inſtruendam prodiiſſent, repente Cyrus prorupit, et vehementi incurſu multos proſtrauit, reliquos in caſtra repulit. Ceciderat in ea pugna rex Aſſyriorum et eius nobiliſſimi duces. Ex quo cum fracti animis multi clam aufugerent, Croeſus, Lydorum rex, potentiſſimus eorum ſocius, et ceteri cum eo omnes, relictis noctu caſtris, fuga ſunt dilapſi.

(20) Cunctatio Cyaxaris Cyro idoneam cauſam praebuit, qua ſibi Armenios adiungeret. Conſentiente ergo Cyaxare, eos venatione ſimulata opprimere ſtatuit. Ipſe Cyaxares eum idoneum ad hanc rem iudicabat,

 quod

quod olim in venatione ſocios habuerat regis Armeniorum filios, quos credibile eſſet, nihil inſidiarum ſuſpicantes, in eius manus venturos: et his deinde obſidibus vti cogitabat II, 4, 15. Magna cum probabilitate haec ſunt excogitata. In mentem etiam venit, Cyaxarem fortaſſe propter ignauiam ſe a primo periculo remouiſſe. Honeſtas certe cauſas, vt alio loco, affert II, 4, 17. Sed hoc vt incertiſſimum mitto, quia verbis claris auctor ipſe nihil ſuſpicionis in hanc rem mouet. Sufficit ad eius laudem, quod priſtinae venationis conſuetudinem facili nexu cum reliquis Cyri factis coniunxit. Quod dixi, Cyri auctoritatem in bello aduerſus Aſſyrios maximis in rebus plurimum valere coepiſſe, patet ex III, 3, 30, 46 et 56. Prudentia eius fecit, vt Cyaxares ei non auderet aduerſari.

(21) Iam cum Cyrus aſſentientibus multis hoſtes confeſtim perſequendos eſſe ſtatueret, Cyaxares eo permoueri non potuit, vt cum ſuis rurſus ſe diſcrimini obiiceret. Veniam tantum illis Medorum dedit, qui ſponte Cyrum ſequi vellent. Hic Artabazus, qui vehementi eius amore tenebatur, maximam Medorum partem ad hanc nouam expeditionem excitauit. Eodem tempore Hyrcanii, cum aliis rebus, tum Cyri fama permoti, ab Aſſyriis ad Perſas defecerunt. Hi ſub Aſſyriis iniquiſſima conditione egerant, et vltimis plerumque periculis fuerant obiecti, nunc vero aliquo interuallo poſt Aſſyriorum caſtra excubare iuſſi erant, vt, ſi forte hoſtes inſtarent, primos eorum exciperent impetus. Horum igitur opera factum eſt, vt Perſae aduenientes, qui poſt illos laterent, improuiſo in Aſſyriorum caſtra irrumpere et eos ad internecionem fere delere poſſent. Multum tamen Cyri prudentia et humanitas illam victoriam temperauit. Captiuos enim ſaluos dimiſit, effecitque lenitate verborum (IV, 4, 13), vt imperio nouo non ſe ipſos, ſed alios ſubiicere vide-

viderentur. Dudum desiderauerat Cyrus proprium Persarum equitatum, et inuitus his Medorum et Hyrcaniorum opibus vtebatur, quod sic non omnia sui arbitrii esse intelligebat. Cum ergo Assyriorum multos equos, et, quae ad rem equestrem pertinerent, multa cepisset, de communi sententia multis suorum attribuit equos, vt vtroque genere militiae merere possent.

(22) Nouus inde a libro IV nascitur rerum ordo. Nam ab illo die, quo Cyaxares hostibus fugientibus instare recusauerat, Cyrus callide ab auunculi societate et imperio desciuit, et regni sui primordia moliri, sibi, non iam Cyaxari, res suas agere coepit. Hoc est illud notabile tempus, et, vt nunc dicere solent *epocha*, qua Cyro fundamenta imperii iacta statuere debemus. Iam si illam rationem, qua Cyrus vsus est, fictam esse sumimus, concedere debemus, verosimiliter fictam esse. Credebat nempe Cyrus, aut credere se simulabat, suum iam esse et iuste acquisitum imperium in eos Medorum milites, qui non iubente, sed tantum concedente Cyaxare, et sponte aut precibus Cyri et amicorum, nouam expeditionem ad persequendos Assyrios suscepissent; et Hyrcanios, quorum legati ad se, non ad Cyaxarem venissent, iam sub suo agere imperio: satis habere Cyaxarem, quod ipsius hostes, nulla ipsius impensa aut periculo, delerentur. Laudandum esse delectum in persona Artabazi, quisque intelligit. Nam episodion erat λόγος ille παιδικὸς, quem I, 4, 27 f. legimus, vbi auctor scite et modeste significat, vix tanti esse, vt eius rei mentio fiat.

(23) Sensit Cyaxares, quo Cyri consilia spectarent, et, cum ne de Hyrcaniorum quidem legatione ad se retulisset, vehementi exarsit ira, suosque omnes confestim ad se redire iussit. Sed Cyrus ita rem instituit, vt nec Medi nec nuncius ipse ad Cyaxarem redire vellet. Sed ita humaniter tamen cum eo, litteris et

et mandatis ad eum datis, egit, vt iure conqueri non posse videretur. Ceterum Cyri opes in dies fere augebantur, adscitis sociis Cadusiis et Sacis, Gobrya item et Gadata, Assyriorum regulis, et praeda ex Assyriorum ditione facta. Tandem cum bellando itineribusque faciendis ad Medorum rediisset fines, Cyaxarem ad se in castra inuitauit, eique obuiam processit cum equitatu. Cyaxares cum videret aduenientis pompam, et rursus, ad se respiciens, reputaret, quam exiguo comitatu ipse accederet, graui dolore affectus lacrimas etiam profudit. Inde res ad altercationem venit, in qua Cyri humanitas et eloquentia tandem obtinuit, vt cum eo rediret in gratiam.

(24) Quam intempestiua fuerit Cyaxaris ira, quamque imprudenter minis additis suos omnes reuocari voluerit, Cyrus IV, 5, 27 ... 33. et V, 5, 14 ... 24 optime docet. Quid ergo? an Cyrus omnino nihil peccauit? nam auctor quidem ei nihil iniustitiae in hoc toto rerum eius cursu imputat. Mihi quidem aut Cyrus videtur aliquid peccasse, aut Xenophon, qui res omnes non ita enarrarit, vt ille omni culpa liberaretur. Persae quidem sui iuris erant, neque Medorum imperio ita erant adstricti, vt in belli societatem cum illis coire tenerentur. Hoc apparet ex I, 5, 3 f. aliisque locis. Quod Cyrus ex priuato cognationis officio Cyaxari, vt sororis filius, obedire debere videbatur, id eius personae, cum munus publicum gereret, minime conueniebat. Restat ergo videre, annon contra ipsam fecerit rempublicam Persarum, qui relicta Medorum societate vel sibi vel ciuitati suae, opes nouas et imperium magnum acquirere coeperit. In mandatis quidem nihil aliud habebat, nisi vt socius belli Medis aduersus Assyrios adesset. I, 5, 4 f. Minime autem credibile est, neque significatur vsquam ab auctore, e iure publico Persarum licuisse imperatori foris bellanti pro lub tu agere, aut, relicta societate bellica,

lica, res suas gerere. Contra Cyrus ipse, quamquam sero, e Perside mitti sibi vult, ad quos referat, et quorum auctoritate res maioris momenti suscipiat. IV, 5, 17. Ergo aut Cyrus peccauit, qui sibi tantum arrogarit, aut Xenophon, qui non ab initio dixerit, Cyrum in mandatis habuisse hoc, vt Persarum imperium, vbi res ferret, amplificare vel inuito Cyaxare conaretur. Sed illud, vt postea videbimus, magis est probandum.

(25) *Ceterum cum hiems instaret, et aduersus hostes nondum debellatos noua expeditio probante Cyaxare et omnibus sociis suscipienda esset, Cyrus bellum summo studio apparauit, Persarum equitatum auxit, currus instituit falcatos, plaustra item cum turribus, et suos animo et corpore ad bellum habiliores fecit. Hostes interim infinito numero ad bellum reparati erant, vt Cyrus maiore discrimine, quam antea decertaturus videretur. Hoc ipse paullo ante pugnam cognouit ex Araspa, qui velut transfuga se ad hostes contulerat, fidemque fecerat, ita vt maximis rebus praeficeretur. Ex eodem singula, de altitudine ordinum, de longitudine aciei, et de ratione praelii, quam inire vellent, resciit. Cum ventum esset ad pugnam, etsi Croesus, cui belli summa commissa erat, multitudine sua exiguam Cyri manum circumfundere penitusque delere cogitabat, tamen facile in fugam datur: Aegyptiorum autem globus tanta firmitate locum suum tuebatur, vt Persae labarent, pedemque referre inciperent. Sed reliquis aut vi disiectis, aut fuga dilapsis, cum a tergo tandem et undique premi coepissent, ad vnum omnes eodem loco essent caesi, nisi Cyrus per praeconem eos conditionibus eorum virtute dignis in fidem recepisset.*

Croesus cum suis statim Sardes confugerat: quem Cyrus e vestigio persecutus eam vrbem regemque viuum insequenti nocte cepit. Hunc summa tractauit clementia,

clementia, et deinceps vbique, siue ille humanitate vsus, siue prudentia, comitem secum habuit. Inde cum eius thesauris profectus partim ipse, partim per duces suos, Caras, Phrygas, Cappadoces et Arabas subegit.

(26) Huic capiti scite intertexta est pars pulcherrimae narrationis de Panthea, formosissima muliere, quam in priori praelio captam Araspas custos siue Abradatae marito, siue Cyro asseruabat. Araspas eius amore captus vim ei inferre voluerat. Quod cum ipsa detulisset ad Cyrum, hic sua humanitate vsus homini pepercit, eumque rogauit, vt ad hostes, quasi effugiendi supplicii caussa, transiret. Haec narratio medium exornat opus, et perquam apte cum ipsa historia coniungitur, simulque maximum totius operis nectit *nodum*, quem vocant, i. e. difficultates rebus obiicit, quae lectoris animum in legendo retinent, vtpote sciendi auidum, qui rerum euentus sit futurus. Quamquam vero vsitatum, hodie etiam obsoletum est strategema fictae ad hostes fugae, tamen in Araspa causa fugae singularis et noua et, vt nobis videtur, praeter alias aliorum causas probabilis est. Quod supra (§. 12) de Lydis et Aegyptiis diximus, id sine necessitate contra veri speciem fictum videri potest: Sed si quid h. l. ad defendendum auctorem addere licet, e natura ingenii humani coniicimus, quod probabilitati saltem non repugnat, eum famam aliquam secutum esse e iudicio Cyri natam. Solent enim homines ambitiosi et de principatu aemulantes, vt quemque aduersarium habent potentissimum et nobilissimum, ita maxime illum deprimere, et eos, qui vulgo minoris aestimantur, illis anteponere. Fortasse ergo Cyrus dixerit, nullius negotii fuisse gloriosum regem Lydorum in fugam vertere, vt Aegyptii adeo prae illis se fortes praebuerint. Certe hos ex VII, 1, 40. magis stupore et inertia, quam fortitudine et victoriae cupiditate loco mansisse credas.

(27) Su-

(27) Supererat vrbs Babyloniorum, qua ſalua et in poteſtate hoſtium relicta, breui ad nihilum reditura fuiſſent ea, quae tot laboribus et periculis erant acquiſita. Sed ea murorum erat altitudo et firmitas, nullis vt hominum viribus expugnari aut dirui poſſe videretur. Et tamen ſollertia Cyri viam eius occupandae reperit. Res eſt digna diligenti enarratione; ſed eadem ita nota, vt hic dixiſſe ſufficiat, captam tandem eſſe Babylonem. Cum igitur noctu per alueum Euphratis, aqua per foſſas alio deducta, in vrbem vino ſomnoque ſepultam introiiſſent, recta contenderunt ad regiam, et praeſidium regemque facile ſuperarunt. Deinde per praecones pronuntiatum, vt omnes ſe tranquilli domibus continerent; interfectum iri, quicunque extra domum deprehenſus eſſet: arma item vt omnia traderent: quacunque in domo poſthac arma reperta eſſent, trucidatum iri omnes in illa domo habitantes.

Rebus vrbis ordinatis Cyrus imperii ſui formam effingere coepit, et omnem cultum apparatumque vitae regiae ſplendoremque totius aulae ſuae excogitavit. Plurimum vero curae poſuit in temperanda procerum diſciplina. Tandem cum Babylonem ſibi ſatis munitam et omnibus vniuerſi imperii ſui partibus bene prouiſum videret, iter ſuſcepit in Perſidem, vbi patris auctoritate pacta fecit cum Perſis et iureiurando ſe obſtrinxit de libertate illis ſeruanda. Inde rurſus profectus per Medos Cyaxaris filiam ſibi oblatam duxit vxorem, totamque Mediam accepit dotis loco. Poſtquam Babylonem rediit, alia inſtituit, quae ad curam et cuſtodiam imperii tam late patentis pertinere viderentur. In his, vt in aliis rebus, multum adiutus eſt calliditate Chryſantae. Multis praeterea populis ſubactis tandem tranquillam egit vitam, per quam modo Babylone modo aliis in vrbibus habitauit. Senex admodum ſeptimo in Per-

ſas venit: vbi ſomnio monitus ſe parauit ad mortem, filiosque praeſentibus amicis grauiſſime ad concordiam cohortatus Cambyſi, maiori natu, regnum legauit, Tanaoxari tres Satrapias inſigniores. Denique cum multa egregie diſputaſſet, mentis bene compos vsque ad extremum ſpiritum, et mandata dediſſet de ſepultura ſua, ſalutatis amicis omnibus, placida morte obiit.

(28) Hic in primis notabilia ſunt pacta iurata inter Perſas et Cyrum auctoritate Cambyſis facta. Nam hoc inſtituto Cyrus a crimine iniuſtitiae et foedae tyrannidis quodammodo liberatus et belli noui cauſa inter ipſum et patriam ſublata eſt. Certe ſi omnia ita geſta eſſent, quemadmodum Xenophon geſta eſſe narrat, vehementem terrorem Perſis domi agentibus debuiſſet inferre Cyri aduentus, de quo VIII, 5, 1 ... 20 legimus. Nam vltra dimidiam partem Perſarum, qui arma ferre poſſent (Vid. I, 2, 15 et cf. I, 5, 5. V, 5, 3), felicis militiae conſuetudine et multis beneficiis ſibi obſtrinxerat, et iam ſubactis tot populis cum exercitu accedebat, adeo vt vehementer timendum eſſet, ne patri tyrannidis auctor exſiſteret, aut eundem ſibi ſatrapam faceret. Bene ergo §. 21 dicitur τὸ μὲν ἄλλο στράτευμα αὐτοῦ κατέλιπεν, αὐτὸς δὲ σὺν τοῖς φίλοις εἰς τὴν πόλιν ἐπορεύετο. Volebat enim omnes eſſe ſecuros, neque decere arbitrabatur, filium ad patrem regem viſendum magno venire cum exercitu.

Sed tamen illud excuſari aut defendi non poteſt, quod ciues e patria muneribus et ſtipendiis captos abstraxit, nec ea de re ante ad rempublicam Perſarum aut ad patrem retulit VII, 5, 35 ſ. et 67 ſ. Non enim credibile eſt, multos ex illis ſeptuaginta millibus militum, qui ſocii Medorum aduerſus Aſſyrios e Perſide miſſi erant, in patriam redire voluiſſe. Nam ex VIII, 4, 28. tantum eos dimiſit, qui ſponte ipſius ſocietatem amplexi erant. Vid. et VII, 5, 67. ſ. Infirmiores

igitur

igitur opes Perſarum fecit, abductis tot eorum ciuibus et in ſplendidam ſeruitutem addictis.

Illud vero limato Xenophontis iudicio prorſus dignum eſt, quod foederis inter Perſas et Cyrum auctorem facit huius patrem. Nam ſodales a pueritia cognitos et familiares Cyrus ſecum in militiam abduxerat: et reliqui certe potentiam et ſplendorem hominis, quem priuatum et parem ſibi cognorant, aequo animo adſpicere non poterant, nec probabile eſt, eos tantum ei tribuiſſe, vt ſponte pacta cum eo inire vellent. Oſtendiſſent etiam, ſi rem ipſi propoſuiſſent, ſibi ſuſpectum eſſe Cyri imperium et aduentum. Neque vero magis apte Cyrus ipſe foederis ineundi mentionem facere poterat, praeſertim patre viuo, et his ſacris praeſenti. Patris contra perſona, qui filii tantam felicitatem cum fauore intueri debebat, et quem par erat ſuſpicioni et timori ciuium ſuorum occurrere, ad hanc rem erat accommodatiſſima.

Cyaxaris aduerſus Cyrum benignitas, et oblata cum regno filia me aliquando offendit. Videbatur enim plane repugnare eiusdem inuidiae IV, 1, 13 et IV, 5, 22. nec non V, 5, 25 ſſ. Sed poſtea magis viſus eſt temeritate laborare, quam illa, quae videtur, inuidia. Accedit, quod poſt illam ſimultatem cum Cyro in gratiam rediit, et hic illius voluntatem, muneribus de praeda miſſis, demereri coepit. Fortaſſe etiam Cyaxares temporibus inſeruiendum eſſe duxit, quando Cyrum tantis praeditum vidit opibus, vt alium quemcunque regni haeredem facile regno priuare poſſet. Quamobrem ſi quid hic deſiderare volumus, quod repente tam propenſa eius aduerſus Cyrum apparet voluntas, dicere debebimus, Xenophontem commemorare debuiſſe, qua potiſſimum re commotus ei tantum dederit amoris documentum.

Moriens demum Cyrus filios ſuos ad tuendam fraternam concordiam cohortatur; ſero ſane, quantum

tum per Xenophontem ſcimus. Profecto ſi nihil aliud, hoc certe peccauit auctor, quod de his Cyri filiis ne verbo quidem in ſuperioribus mentionem fecit, aut quidquam ſignificauit. Neque enim naſci et interire cum Cyro debuit tantum imperium, ſed conſeruari potius et ornari filiorum in contubernio patris educatorum virtute. Sed quod ſupra §. 3 e Platone retuli, ipſo auctoris ſilentio confirmatur, eos ſub diſciplina mulierum adoleuiſſe, praua earum indulgentia corruptos: et, ſi quis vult ſeuerus eſſe, auctorem vituperare poterit, quod hactenus hiſtoriae fidem nimis diligenter ſeruauit. Nam in conſtituenda procerum diſciplina Cyrus etiam puerorum educationi proſpexit (VII, 5, 86 et VIII, 6, 10.), vt eo grauius peccarit, qui exemplo ſuo legum a ſe datarum auctoritatem infregerit. Videndum ergo, vt illud recte capiamus, quod *Meiners* in *Geſchichte des Urſpr.* etc. T. II. p. 635 iudicat: *Xenophon ſetzt ſeinen Helden, als Knaben und Jüngling, als Mann und Greis, als Sohn und Vater ... in alle nur gedenkbare Lagen, um durch Beyſpiele zu lehren* etc. Neque enim libri modus cepiſſet rerum multitudinem, ſi omnia pueri, adoleſcentis, *patris*, amici, hoſtis, ſocii, victoris, regis, imperatoris officia enarrare voluiſſet.

Ea, quae hactenus ad ſingulas partes diſputauimus, ſatis docent, Xenophontem intelligenti iudicio et magna cum cura in componenda Cyri vita verſatum eſſe, et plura inde et ad iudicandum et ad imitandum cognoſci poſſe, quam vulgo obſeruantur.

(29) Narrationem ſuam inſtruxit auctor quibusdam digreſſionibus, vt lector interuallis et locis idoneis requieſcere poſſit: in quibus maxime delectant, quae I, 3. continentur. Inter talia ἔξω τοῦ λόγου ornamenta haec eſſe numeranda, ex ſuperioribus, maximeque ex §. 14 ſ. patet. Multum ea diſcrepant a ceterarum rerum grauitate, ſed tamen ita diſcrepant, vt ad rem ipſam

ipſam videantur facta et nata, cum e ſingulis fere narratiunculis coniici poſſit de pueri egregia et plane regia indole et facta inſequentis aetatis inde fiant magis probabilia. Minus ad reliquarum rerum intelligentiam faciunt conuiuantium narrationes (II, 2, 1 ... 10) neque fortaſſe ſunt ad cuiusque palatum: ſed tamen tempore non iniquo Perſae finguntur iocati eſſe, vt homines prorſus otioſi et ſecuri, hoſtibus nondum propinquis. Non opus eſt ſingula huius generis perſequi, veluti de vxore Tigranis (III, 1, 41), et de Panthea, quam narrationem ſupra laudauimus, et quae mirifice variis modis, admiratione, laetitia, exſpectatione, dolore animos legentium mouere debet, vt de ea vel maxime valeat, quod *Meiners* l. l. in vniverſum pronuntiauit: „*Am meiſten Fleiß ſcheint Xenophon auf die Episoden verwandt zu haben; denn dieſe ſind nicht nur ſo vertheilt, daß ſie die Theilnehmung an der Hauptperſon und Haupthandlung erfriſchen und verſtärken; ſondern ſie ſind auch lehrreicher und ſchöner geſchrieben, als die übrigen Theile des Buches.*“

(30) Accedimus ad characteres ethicos perſonarum, Cyri, et quarum ſecundum hunc primae ſunt in hoc opere partes. Cyri ingenium auctor paucis verbis I, 2, 1. adumbrauit: Φῦναι ὁ Κῦρος λέγεται ... φιλανθρωπότατος, καὶ φιλομαθέστατος, καὶ φιλοτιμότατος, ὥστε πάντα μὲν πόνον ἀνατλῆναι, πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομεῖναι τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα. Scilicet haec erant in eius indole prima quaſi ſtamina et initia naturae munere conceſſa, quae in eo animaduertebant ſtatim a prima eius pueritia, et quae deinceps in reliqua vita ſe maxime exſerebant; „*die Hauptzüge,*“ vt noſtri iam dicere ſolent, „*in ſeinem moraliſchen Charakter.*“ Fortaſſe etiam auctor intelligi voluit, reliquarum eius virtutum ex his tribus rationem reddi poſſe. Quod ſi ita eſt, debebat id breuiter in reliquis ſignificare, ſicut

de patientia et fortitudine e laudis ſtudio nata: ὥστε π. ... ἕνεκα. Φιλανθρωπίας autem nomine omnes eae humanitatis partes ſignificantur, quibus nos ex vſu loquendi Latinorum et noſtratium amorem erga omnes, alienos etiam homines („*die Menſchenfreundlichkeit*") complectimur. Erat enim Cyrus affabilis et commodus, et qui libenter cum aliis hominibus congregaretur, quique adeo ita ſe in eorum ſocietate gereret, vt ei facile cum omnibus conueniret. Cum 12 annos haberet, auum a ſe nunquam viſum tanta laetitia ſalutauit, vt ſi ad conſuetudinem amici longo tempore a ſe disiuncti reuocatus eſſet. Pari facilitate cum aequalibus iſta aetate verſabatur, et omnium ſibi colligebat gratiam. Cum hac eius iucunditate coniunctum erat bene de aliis merendi, alios et re et opera iuuandi ſtudium I, 4, 1. VIII, 4, 7 ſ. Maxime autem commemoranda eſt, vt in tali viro, clementia et manſuetudo erga hoſtes deuictos, et amicos aliqua culpa lapſos. Hoſtium conſeruatorum et humaniter tractatorum multa ſuppetunt exempla, v. g. III, 2, 12. V, 4, 17. VII, 2, 5 et 10: vnde etiam vt *patrem* pie coluerunt VIII, 1, 1. et hoc nomine appellarunt, etiamſi hac indulgentia ſua eos callide in ſeruitutem redegerat. Sed tamen haec manſuetudo et humanitas quibusdam minus inſignis aut non ſatis expreſſa videbitur: qui ſi cogitare voluerint, quam crudeles reliqui fuerint reges orientis, quantaque ſaeuitia, vt ſi nefas eſſet hoſtibus ignoſcere, victos et inermes trucidarint, intelligent, hanc Cyri virtutem, ſi quidquam aliud, bene expreſſam eſſe per totam Cyri diſciplinam. Vnum excepi locum I, 4, 24, in quo fortaſſe alius repererit, quo Xenophontem defendat. Sed lenitatis aduerſus amicos nullum eſt illuſtrius exemplum, quam in Araſpa, quem formidine plenum ne verbo quidem caſtigauit, ſed contra ad ſe vocatum erexit et bono animo eſſe

iuſſit.

iussit. Admiratus tantam et tam insperatam humanitatem Araspas, *ἀλλὰ σὺ μὲν, ὦ Κῦρε*, inquit, *καὶ ταῦτα ὅμοιος εἶ, οἷοσπερ καὶ τἄλλα, πρᾷός τε καὶ συγγνώμων τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων*, VI, 1, 37.

Singularis est Cyri aduersus auunculum humanitas et obseruantia, de qua hic non alieno loco aliquid adiicere videmur. Mittit ei cum mandatis epistolam, cum eodem tempore mandata tantum det ad Persas IV, 5, 26. Inuitat eum in castra sua, sed ita, vt si ille iusserit, ipse se ad illum venturum esse ostendat. Deinde in congressu prior descendit ex equo, et dextra eum prehensum sedere iubet: et tum demum humaniter collocuturus ei assidet V, 5, 1 ... 7. Rident alii Cyaxarem, vt hominem mulieribus deditum; vbi Cyrus nec risu nec verbis eorum dicta probat. IV, 5, 52. Quin etiam vbi Cyaxari iure et pro salute communi aduersatur, tamen etiam cum periculo aliquid peccandi ei cedit. III, 3, 56.

(31) *Discendi cupidum* fuisse Cyrum et alias dicitur, vt I, 4, 3. multo tamen magis intelligitur e factis, cum, vt alia multa mittam, etiam imperator creatus e patris sermone in arte bellica proficere studuerit. *Honoris et laudis studiosum* nobis exhibet auctor pluribus locis, atque etiam hac ex parte in eius ingenio declarando sibi constat. Vnum indicabo locum III, 2, 31 vbi hac fere sola de causa legatos a duobus populis mitti vult, ad regem Indorum, quod sperat eos de ipsius virtutibus apud illum esse dicturos. (32) Multa alia in eo lucebant animi bona, quorum pleraque ex illorum, de quibus diximus, fonte fluunt. Erat acutus ad res facile intelligendas et inueniendas (*ἀγχίνους*, I, 4, 3.), cuius rei documentum habemus VI, 1, 52. Haec celeritas ingenii et consilii etsi in multis reperitur,

ritur, qui laudis appetentes et rerum cognoſcendarum cupidi ſunt, tamen commode poterat ſingulatim ſuo loco commemorari. Denique recte quis ſtatuerit omnino Cyri ingenium e Socratis et Xenophontis ingenio eſſe expreſſum. Speciminis loco ſit huius φιλοκαλία (I, 3, 3.) et φιλοθυσία (V. ad Xen. vitam §. 12), et illius ſubtilitas in definiendo et diſtinguendo II, 2, 12. VIII, 1, 31. Haec quidem credibilior eſt in philoſopho Graeco, quam in Perſarum rege.

(33) Quamquam auctor Cyrum tot et tantis naturae dotibus exornauit, vt per ſe ſatis magnus videri poſſit, quod pleriſque lectoribus multa regum et imperatorum aut priuatorum ſaltem hominum exempla nota ſunt et facile in animum veniunt, quorum vitia tacite cum illius virtutibus comparent: tamen illi ex aliqua parte oppoſuit CYAXAREM, hominem durum et ſeuerum (IV, 5, 9.); deinde praecipitem et temerarium (ibid.); intemperantem porro et voluptatibus indulgentem (IV, 1, 13 et maxime IV, 5, 52); ignauum denique et ſegnem ad res gerendas (I, 4, 22. Vid. ad IV, 1, 18). Praeterea non dubito, quin faſtum eius inanem reliquae eius imbecillitati minime conuenientem rideri voluerit. Comparet lector IV, 1, 13. V, 5, 8 ſ. VI, 1, 6.

(34) Inter proceres Perſarum gratia Cyri eminet CHRYSANTAS. Hic quod in ſummo diſcrimine dicto audiens fuerat (IV, 1, 3.), ex eo tempore Cyrus ei in primis fauere coepit. Corpore neque magnus neque robuſtus in ſpeciem erat: tamen valde laborioſus et patiens reperiebatur, vt in venatione v. g. ſaepe ſomnum non videret (II, 4, 26 ſſ.). Maxime autem valebat prudentia, vel potius calliditate. Nam egregie aſſentabatur Cyro, et quidquid hic pro communi ſalute Perſarum, vel potius

pro

pro dominatione sua suscipiendum censebat, ille vehementer probabat, efficiebatque vel eloquentia, vel gratia vel felicitate quadam, vt reliqui ei assentirentur. Quo fiebat, vt, cum iniquissima servitutis conditione Cyro se addixisset, ab hoc ad summos honores eueheretur. VIII, 4, 11. Sed ipsius orationes hanc eius calliditatem clarius demonstrant. II, 2, 17 et 19. II, 3, 5 s. IV, 3, 15 ... 22. VI, 2, 21 s. VII, 5, 55 s. VIII, 1, 1 ... 5.

(35) PHERAVLAS etiam inter Cyri amicos insignis est. Eloquentia, prudentia et obsequio erga Cyrum et hic se notabilem praebet; sed magis peculiari quodam humanitatis genere, quod omnino *hominis* naturam prae ceteris animantibus magni faciebat. Ex quo etiam cum sodalibus libenter viuebat, gaudebatque magnam eius rei facultatem se esse nactum, bonis Sacae sibi traditis. Sollers erat ad excogitandum rei splendidius componendae decorem et ordinem, et delectabatur rebus pulchris. VIII, 3, 5. et 49 s. Humanitas illa, quae huius characterem insignem et proprium facit, mihi paullulum suspecta est, et non satis secundum naturam illi videtur tributa. Magis instinctu, quam rationibus, quae illo loco afferuntur, homo hominem amat, praesertim Persa, et homo de plebe. HYSTASPAM auctor minus diligenter expressit. Celeritatem in rebus agendis ei tribuit VII, 1, 19. et omnino nimis similem facit Chrysantae IV, 2, 46. In hoc igitur valere potest, quod in disp. de ing. X. §. 15 e Dionysio adscripsimus. Nam vt concedamus, casum ita ferre potuisse, vt duo homines ingenio essent simillimi, tamen cum tam paucos auctor e magno numero delegisset, in quibus pla-

ne exprimendis elaboraret, huic videtur magis diversam ab illo indolem effingere debuisse. Quodsi quis ex VIII, 4, 9 ... 12 aliquid exsculpere velit, nimis illud sit commune. Inter ceteros me delectat ARTABAZVS, non propter reliquas eius ineptias, quas cognoscimus ex I, 4, 27 s. V, 1, 25, VIII, 4, 27., sed propter vrbanitatem, quae eius dictis inest, maximeque propter illud, quod VIII, 4, 12 legimus, quod germanam sapit hominis vrbani et politi elegantiam, et pluris est, quam omnia illa, quae commode et iucunde de amore suo erga Cyrum protulit. Atque haec quidem dicta sunto de characteribus in hoc opere conspicuis: quos per se spectatos paullo plenius saltem exprimi, inter se autem relatos paullo aptius temperari et clarius distingui debuisse existimamus.

Cetera, quae in vniuersum ad formam operis pertinent, e priori dissertatione peti possunt. Tantum monebo, quasdam disputationes de re militari iusto videri ampliores, et hodiernis quidem lectoribus facile taedium creare posse. Quod incommodum vt euitaretur, equidem non video, quid impedierit, quo minus mediis narrationibus ista, vsitato historicis more, traderentur.

(36) Progredimur iam ad rem longe difficillimam et maxime lubricam, cum de materia ipsa horum librorum, de artibus belli et pacis dicere instituimus. Non enim est huius conditionis nostrae et vitae vmbraticae, de illis rebus iudicare, quas summus imperator in exprimendo summo rege ad formandos magnos bello et pace viros enarrat. Sed tamen si plane intactum hoc caput relinquere vellemus,

mus, nobis ipſi videremur perfide agere aduerſus Xenophontem, aut lectoribus fucum facere, cum inani verborum laude (quod in rebus ipſis non magna laus inſit) auctorem ornatum dimitteremus. Atque etiam deſperatione quadam defeciſſe cuipiam videremur, quod maiorem, quam pro virium noſtrarum imbecillitate laborem ſuſceperimus. Talem ſuſpicionem iniicere poſſit longior praefatio, quae iam, vt ſentio, neſcio quid magni exſpectare iubet. Sed eandem ſuſpicionem deponet, qui inſtitutum noſtrum cognouerit. Non enim nobis propoſitum eſt, praecepta Xenophontis diiudicare et oſtendere, quid inde ad vſum hodiernae militiae et diſciplinae ciuilis conferri poſſit; ſed congerere tantum diſperſa, quae ex ipſius auctoris iudicio potiora videri debent, et ea locis, vnde deſumta ſunt, indicatis ſub vno adſpectu ponere, vt philoſophi, qui de his rebus disputare ſolent, ſi qui haec noſtra legent, (nam artis periti Xenophonte doctore carere ſe poſſe confidunt) promtis et paratis vti poſſint. Pauca tamen quaedam de rebus bellicis non iniucundum erit contuliſſe cum dictis anonymi ſcriptoris, qui non ſolum de arte, ſed etiam ex arte loqui videtur, et cui ſaltem docti homines multum tribuunt: „*Betrachtungen über die Kriegskunſt*, *über ihre Fortſchritte* etc. *Erſte Abth.* 1797.“ Fortaſſis enim e paucis ſpeciminibus intelligetur, ne nunc quidem diſſentire artis peritos a Xenophonte, et huius praeceptionem ne nunc quidem eſſe prorſus inutilem.

(37) Primo igitur quod ad rem militarem attinet, peropportune nobis ipſe Xenophon ſcribendi laborem minuit, qui Sect. IX. ſub Cambyſis perſona de officio imperatoris copioſe disputat. Praeter

 hunc

hunc fontem, quem indicasse sat erit, Cyri proposuit exemplum, vt magis huius consilia et facta, quam dicta sua, lectores cognoscerent. Sed tamen et ipse e persona sua narrationibus iudicia quaedam interposuit, quibus rationes Cyri magis aperirentur, et vnde intelligeremus, quid ipse probarit. Ex his quandam descriptione partium effingere velle disciplinam, ineptum sit, cum ipse res maximas Sect. IX diligenter sit persecutus. Sed tamen in reliquis hunc fere ordinem sequemur, vt a delectu exercitus profecti deinceps ad pugnas et victorias tendamus.

Hic primum subdubito, vtrum auctor eam rationem delectus faciendi, de qua I, 5, 5. narrat, vnice probarit, vbi ad similitudinem moris Romani, cum vir virum legebat, Cyrus ducentos nobiles legit, quorum singuli deinde quaternos legunt eiusdem dignitatis, ita vt rursus horum mille hominum singuli tricenos adsciscant. Iudicium ipse nullum addit. Attamen cum diligenter singularem hunc conscribendi modum declararit, videtur existimasse, lectissimos tali modo bellatores et fidissimos inter se commilitones congregari. — Copias equestres vel maxime probat, et sine equitibus nullum statuit exercitum satis validum, praesertim aduersus equites, aut etiam pedites levis armaturae IV, 3, 4 f. et 15 ... 21. — Sed instituit eos, quos hodierno nomine *Dracones* vocare possis, qui non minus pedestri militia merere possent IV, 3, 14. Cf. IV, 5, 58. — Omnino quod ad numerum militum attinet, id statuit, quod Vegetius refert: *Amplius iuuat virtus, quam multitudo.* II, 1, 8 ff. et alibi. Sic animi firmitatem plus valere dicit, quam robur corpo-

corporis III, 3, 19. Sed magis armis peditum declarauit, quae qui gereret, neceſſario cominus deberet hoſtem aggredi et manum conſerere. Nam telum nullum dabatur: ſolo gladio * non admodum magno pugnandum erat. Equitibus item vnam attribuit haſtam, vt ad manus ſtatim veniendum eſſet. Reliqua arma, maximeque fundam contemſit. VII, 4, 15. Non incommode hic interponere videmur locum anonymi p. 82. „*Die Schlachten gewähren bey weitem nicht mehr die Entſcheidung derer des Alterthums; nicht ſelten gewähren ſie gar keine. Weil man nicht mehr handgemein wird, ſind ſie für den Ueberwundnen weniger, für den Ueberwinder mehr blutig. In jenen fielen während des Gefechtes, und ſo lange von beyden Seiten gekämpft ward, die wenigſten Streiter:*

* Κοπίδα nominat auctor; aliis locis *μάχαιραν* II, 1, 21. IV, 5, 58. Cf. V, 2, 1: nam locum I, 2, 13 dubium fecit Wyttenbachius in ἐκλογαῖς ἱστορικαῖς, qui σάγαριν reponi vult. Cum autem σάγαριν Suidas interpretetur κοπίδα ἢ πέλεκυν, haec tria prorſus videntur apud Xenophontem ſynonyma, vt ἢ non ſit *aut* ſed *ſiue;* eſſe nempe Perſarum gladium eius formae et magnitudinis, vt neſcias, *ſecurim* an *gladium* appelles. Neque enim credibile eſt, eorundem Homotimorum diuerſa fuiſſe arma. Obſtant loca duo IV, 2, 22 et VIII, 8, 23, vbi καὶ interponitur, e quibus interdum ſubiit ſtatuere, diuerſam eſſe σάγαριν a κοπίδι ſ. μαχαίρᾳ; illam eſſe ſecurim, hos gladios; vtrumque autem geſtaſſe Homotimos, vt ſi forte in pugna gladius fractus aut excuſſus eſſet, ſecuri manum armarent. Sed nihil in hanc rem alibi reperi, vt medicina potius his locis adhibenda videatur. — παλτὸν et ξυστὸν prorſus ſunt ſynonyma. Cf. IV, 5, 58. IV, 3, 9. VII, 2, 16. VIII, 8, 22.

nur erst dann, wenn eine Parthey überwunden, niedergeworfen war, fing das Schwerd des Siegers, welches der Besiegte wirklich im Nacken hatte, an aufzuräumen; die Redensart niedermetzeln *drückt die Sache ganz eigentlich aus. Das geschlagene Heer war mehrentheils verloren, vertilgt; kein zwiefaches* Te Iouem laudamus! *möglich. Jetzt hat die Infanterie ihr Seitengewehr nur pro forma, zur Zierde und Beschwerde; viele hat klüger gar keins.*" Quam vere de veterum pugnis hic iudicetur, vel ex his Cyri verbis patet: αὐτοὶ οὐ νομιοῦσιν ἡττῆσθαι, ἀλλ᾽ ἄλλης σοὶ μάχης δεήσειεν. III, 3, 47. — Nunquam exercitus confusus ordinibus aut militibus pro lubitu incedentibus iter facit, sed semper τεταγμένος, etiam vbi nullae ab hostibus insidiae timendae sunt III, 3, 25. V, 3, 55 et 58. VIII, 5, 2 ff. et quamquam auctor e persona Cambysis I, 6, 14 (et Socratis Memor. III, 1, 6) Tactica contemnere videtur, tamen suam hoc in genere scientiam et sollertiam his in libris vel maxime ostendit, et vt artem in primis necessariam exemplo Cyri commendat. I, 6, 43. II, 3, 21 ff. II, 4, 2 ... 4. V, 3, 36 ff. VI, 3, 1 ... 4. VI, 3, 21 ff. VII, 5, 1 ... 6. VIII, 3, 9 ff. VIII, 5, 15.

(38) Non minus momenti inest in extremo agmine, quam in acie prima, praesertim cum res celeriter et strenue est gerenda, aut aduersus hostes incurrendum. III, 3, 41 f. VI, 3, 25 et 27. — Non in campo aperto castra Cyrus vallo et fossa munitus ponit, vt Assyrii; sed loco quam occultissimo vicis et collibus tectus, quod omnia bellica opera repente conspecta plus terroris inferant hostibus.

